*Rempub. administrando.*

A EPAMINONDAS, cùm Thebani per contumeliam ei magistratum quempiam fordidum, & contemptum mandassent, non contempsit, sed ea cura gessit, ut muneri prius contentissimo dignitas, & auctoritas accederet, dicens: Οὐ μόνον ἡ ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείκνυσιν, ἀλλὰ καὶ ἀρχὴν ἀνήρ, id est: non solùm magistratus virum ostendit, sed magistratum vir. Meminit. *Plutarchus in præceptis civilibus.*

Jo. Galeacii Vicecomitis in administranda politia diligentiam, *vide sub Tit. Oeconomiæ magistri.*

*Judicando.*

ALEXANDRIDAS roganti eum, Quid causas capitales Senes pluribus diebus disceptent: atque ut noxa, quis liberatus sit, nihilominus manet reus? Multis, inquit, diebus disceptant: quòd, si in re capitali titubent, non sit ad pœnitentiam regressus, legibus autem obnoxium esse oportet, quòd hac ex lege liceat etiam rectius consilium capere. *Plut. in Apoph.*

T. MANLIUS TORQUATUS, cùm ad Senatum Macedonia de filio ejus Decio Syllano, qui eam provinciam obtinuerat, querelas per legatos detulisset: domi solus utrique parti per to-B tùm biduum vacavit, ac tertio die plenè, diligentissimèque audi-F tis testibus, ità pronuntiavit: Syllanum filium meum pecunias à sociis accepisse cùm mihi probatum sit, & repub. & domo mea indignum judico, protinusque è conspectu meo abire jubeo. Tàm tristi patris sententia percussus Syllanus, suspendio se proxima nocte consumpsit. Torquatus neque adolescentis exequiis interfuit: & cùm maximè funus duceretur, consulere se volentibus, vacuas aures accommodavit. *Valer. Max. lib. 5. cap. 8.*

*Explorando.*

LEONIS V. Imperator Constantinopolitani diligentiam in explorandis custodiis, *pete ex Tit. Vigilantiam suorum excitare.*

*Custodiendo.*

MAHOMETUS II. Turcarum Imperator, cùm anteà negligentissimus esset sui corporis custos, & nihil aliud cogitaret, quàm ut se vino obrueret, ac obsoniis variis ingurgitaret: post detectas Janizarorum quorundam insidias, ita se composuit posteà, ut nemo ad custodiendum esset eo diligentior, nemo ad suspicandum sagacior, nemo ad vindicandum severior. *Cuspi-*C *nianus.* A. D.

*Amicitiam comparando.*

P. SCIPIO Africanus, Polybii præceptum sequens, elaborabat non prius ex foro digredi, quàm quavis ratione consuetudinem, & amicitiam conciliasset alicujus ex iis, qui ipsum convenirent. *Plut. in Apoph.*

## PERSONARUM. DILIGENTES.

*Princeps, Magistratus.*

Romani Censores inito magistratu omnibus aliis præveterant alimenta sacrorum anserum, & signi politurâ locare, à levissimis scilicet ordientes, & ab iis, quæ non magnam impensam, vel multum negotii flagitant. *Plutarchus in quæst. Roman.*

CLAUDIUS CÆSAR, urbis, annonæque curam solicitissimè semper egit. Cùm Æmiliana pertinacius arderent, in diribitorio duabus noctibus mansit: ac deficiente militum, ac familiarium turba auxilio plebem per magistratus ex omnibus vicis D convocavit: ac positis antè se cum pecunia fiscis, ad subveniendum hortatus est, repræsentaturus pro opera dignam cuique mercedem. *Suet.*

JOANNES BASILIDES Magnus Moscoviæ dux, populi negotia certis anni temporibus audiebat, & excutiebat: Tum humillimo cuique fas erat injurias deferre, & liberrimè conqueri de impotentia, acerbitateque potentum, qui contra leges, & consuetudinem subditos nulla moderatione vexavissent. Ne verò quisquam infecta ex aula discederet, Scribas, & judices magno numero advocabat, libellos supplices ipse inspiciebat, quos in pileum primarii cujusdam Scribæ projectos, absoluto ferè judicio in conspectu omnium effundere, & inter illos distribuere consueverat, ita ut diceret supplicantes eadem hora, sic audiendos, & dimittendos, ne quis omnium in civitate pernoctandi occasionem, & necessitatem habuisse videretur: nec ulla in re crudelius severitatem exercuit, cùm sontes pariter, & insontes neglecti munèris invidia notatos, acerbissimis plagis, & contumeliis oneraret. Atque hæc in Principe malignè improbo laudem fortassis mereri poterant, nisi parvæ adfectatæ virtutis scintillulæ, densissimo probrorum, vitiorumque fumo obscuratæ fuissent, quibus domi pariter, & foris indelebilem E pudendi nominis infamiam contraxit. *Paulus Oderbornius in ejus vita.*

*Politici.*

PERICLES corpore, ac vitæ ratione immutavit se, ut composito gradu incederet, sermone leni uteretur, vultum præferret semper adductum, manum intra pallium contineret, una via ad forum, & ad curiam pergeret. *Plutarch. in Præceptis politicis.*

*Duces.*

PERICLES quoties chlamydem sumebat, Adverte, inquit, Pericle, animum: liberis imperas, Græcis imperas, civibus Athenienfibus imperas. *Plut. in Præceptis Politicis.*

L. LUCULLUS à Sylla in Ægyptum ad contrahendam classem missus, & à Ptolemæo magnificè exceptus, dicitur neque Memphim adiisse, neque quicquam ex celebratis Ægypti miraculis visisse: quod feriantis hæc spectatoris, & delicati essent, non sicut ipse, qui sub dio tendentem juxta hostium præsidia F reliquisset imperatorem. *Plut. in Lucullo.* Eum certè M. Cicero scribit profectum Roma, rei militaris penè rudem, cùm totum iter, & navigationem consumpsisset partim in percontando à peritis, partim in rebus gestis legendis in Asiam venisse, factum Imperatorem tantùm, ut Mithridates rex post Alexandrum maximus, hunc à se majorem ducem cognitum, quam quenquam eorum, quos legisset, aut vidisset, confiteretur. *Ludovicus Vives de Trad. disciplinis, lib. 5.*

TIBERIUS CÆSAR post Varianam cladem Rhenum trajecturus, summa diligentia in singulis explorandis, administrandisque usus est. *Suetonius.*

*Legati.*

ELISEUS Giezi famulum suum mittens cum baculo suo, ut illum Sunamitidis filio mortuo imponeret, & resuscitaret, præcepit: Si quem offenderis, ne salutato: salutanti ne respondeto: ac baculum meum faciei pueri imponito. Oportet enim manus aratro admoventum non respicere, & in negotio Domini nullis aliis rebus impediri, ne humanitatis prætextus studium religionis remoretur. 4. *Reg.* 4.

*Cantores.*

NERO Imperator, ut inter cantores connumerari posset, & G vocalis fieri, semetipsum per vomitum, & feces sum fumo studio purgavit: porrò præterea oleo condito vescebatur, & plumbeam laminam pectori impositam gerebat. *Fulgos. lib. 8. cap. 3. ex Suetonio.*

*Oratores, Rhetores.*

☞ *Vide Tit. Rhetoricei studium in seipsos.*

C. MACER causarum patronus in inveniendis, componendisque rebus mirè accuratus fuit, ut non facilè ullum diligentiorem, majoremque Cicero cognoverit: ità tamen, ut citiùs veterator, quàm orator dici potuerit: vox, gestus, & omnis actio, sine lepore. *Cicer. in Bruto.*

*Medici.*

HIPPOCRATIS id fuisse legimus in discendo studium, ut eum non puduerit vel retrimenta gustare, ut inde morbi naturam persentisceret. Quòd tamen alii Æsculapio malunt ascribere (unde, & ab Aristophane ἐκκεφάλοι dicti sunt medici) alii Asciepiadi. *Cœlius lib. 29. cap. 13. & lib. 12. c. 16.*

Apud Roman. Venetæ factionis, & Prasinæ aurigas, equorum subindè retrimenta olfacere consuevisse legimus: ut hinc pernoscerent, quàm facilè cibos conficerent, bo- H nam eorumdem habitudinem sic deprehensuri. *Cœlius lib. 12. cap. 13. A. L.*

GALENUS sæpiùs die, noctuque ad eundem quandoque ægrum, ut ipse de sese scribit, accessit. Quin & pernoctare interdùm apud ægrotos solebat, cùm ministrorum diligentia suspecta erat: & domum suam aliquando curandos deducebat.

*Quæstores.*

EPAMINONDAS, cùm per invidiam, atque contumeliam vectigalibus à Thebanis præfectus esset, non est id munus asperatus, sed fatus: Non solùm magistratus virum, verùm etiam magistratum demonstrat vir, ad magnam, & amplam dignitatem eam præsecturam evexit; quæ ante nihil erat, quàm cura in viis angustioribus stercorum eiiciendorum, & avertendorum rivorum. *Plutarchus in Præceptis Politicis.*

Cùm Ptolemæus Cyprius veneno sese necasset, Cato in eam missus provinicam, amplum invenit, & regium in poculis, mensis,



mensis, gemmis, purpura instrumentum, quod distrahendum, A & redigendum in argentum erat. Hic curiosè omnia cùm persequi vellet, omniaque ad summum intendere pretium, atque ipse interesse omnibus, & adhibere extremum calculum: ne moti quidem credidit fori. Verùm simul omnes suspectabat apparitores, præcones, sectores, amicos. Ipse denique cum licitantibus colloquebatur seorsum, & propellebat singulos, atque ea ratione pleraque promercalia addixit. Quare multos amicos quasi diffidens eis offendit. *Plut. in Cat.*

Cato minor simul atque factus quæstor est, multa in ministris ærarii, & scribis notavit, qui cum perpetuò acta publica, & leges tractarent, novosque quæstores acciperent, planè indigentes ob imperitiam, & inscitiam aliorum doctorum, & magistrorum, non cedebant illis auctoritate, sed erant ipsi quæstores: donec Cato strenuè negotium capessens, non satis habuit nomen, & honorem tenere tunc officii, sed mentem etiam, animos, & verba: scribis uti, sicut ministris voluit, hinc scelera eorum coarguens, hinc peccantes ignorantia docens. *Plut. in ejus vita.*

Idem quæstura functus, non tamen à statione decessit ærarii: sed servi ejus quotidiè agebant ibi acta describentes. Ipse B codices, quibus rationes procurationis publicæ pecuniæ descriptæ ab Syllæ temporibus usque ad quæsturam suam erant, comparatos quinque talentis semper in manibus terebat. Curiam ingrediebatur primus, postremus dregrediebatur. Cùm frequenter cæteri corent segniter, sedens legebat submissè, prætensa libro toga. Nunquam cùm Senatus haberetur, abierat. Cùm videret eum Cn. Pompejus in studiis suis, iniquis rigidum semper, & inflexibilem adversarium, moliebatur eum amicorum quorundam defensionibus, vel arbitris, vel negotiis extrà curiam distrahere. Qui citò animadversis insidiis, præcepit semel omnibus, cùm Senatus ageretur, ulli se alteri rei dare. Cùm enim neque gloriæ causa, vel avaritiæ, neque casu, & fortuitò, ut alii nonnulli, esset ad remp. capessendam delatus, sed eam actionem, ut munus boni viri proprium elegisset: acriorem reipub. curam curavit per amicos, quos passim habebat, ad se transmitti. *Plut. in Catone.*

*Histriones.*

Q. ROSCIUS histrio, scenicæ industriæ notissimum exem-C plum, nullum unquam spectanti populo gestum, nisi quem domi meditatus fuerat, proponere ausus est. Quapropter non ludicra ars Roscium, sed Roscius ludicram artem commendavit: nec vulgi tantùm favorem, verùm etiam principum familiaritates amplexus est. *Val. Max. l. 8. c. 7.*

*Mechanici quilibet.*

☞ *Consule Tit. Mechanicarum artium studium.*

Lex fuit Thebis, præcipiens artificibus tum pictoribus, tum figulis, ut imaginum formas, quoad possent, optimè exprimerent. Iis, qui deteriùs aut finxissent, aut pinxissent, mulcta pecuniaria irrogabatur. *Ælian. de Var. hist. l. 4.*

ZEUXIS HERACLEOTES pictor, anno 4. Olympiad. 95. Agrigentinis facturus tabulam, quam in templo Junonis Laciniæ publicè dicarent, inspexit virgines eorum nudas, & quinque elegit: ut quod in quaque laudatissimum esset, exprimeret. *Plinius l. 35. c. 9.*

APELLES Alexandrum fulmen tenentem tam accuratè de-D pinxit, ut vulgò ferrent, quòd duorum Alexandrorum alter esset à Philippo genitus invictus, alter ab Apelle major omni imitatione. *Plut. orat. 2. de Alexandri fortuna.*

Pæonum quorumdam soror, sua in mechanica exercitatione industria, occasionem dedit Dario, Pæonum gentem in Persiam transferendi. *Vide Tit. Assus in tyran. occupanda, ex Herodoto.*

M. CRASSUS eam à mechanicis diligentiam requirebat, ut ipse etiam servos suos in iis artibus instituere non erubesceret. *Plut. in ejus vita.*

C. FURIUS CRESINUS è servitute liberatus, cùm in parvo admodum agello largiores multò fructus perciperet, quàm ex amplissimis vicinitas: in invidia erat magna, ceu fruges alienas pelliceret maleficiis. Quamobrem à Sp. Albino curuli die dicta, metuens damnationem, cùm in suffragium tribus oportet ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, atque (ut ait Piso) benè curatam, ac vestitam, ferramenta egregiè facta, graves ligones, vomeres ponderosos, boves faturos, posteà dixit: Maleficia mea, Quirites, hæc sunt: nec possum vobis ostendere, aut in forum adducere lucubrationes, vigiliasque, & sudores. Omnium sententiis absolutus itaque est. *Plin. l. 18. c. 6.* E

PARIDIUS Veterensis duas filias, ac fundum vineis consitum habuit. Hujus fundi tertiam partem, nubenti majori filiæ in dotem dedisse dicitur, ac nihilominus solere æquè magnos fructus ex duabus partibus ejusdem fundi percipere. Minorem deinde filiam nuptui collocasse in dimidia parte reliqui agri, neque sic tamen ex pristino redditu quicquam detraxisse. Nullis aliis artibus usus est, quàm quòd posteà melius tertiam illam fundi partem coluit, quàm anteà universam. *Colum. l. 4.*

*Athletæ.*

ICTIS Tarentinus, nobilis palæstrita, toto vitæ tempore Veneris expers fuit, ut arti accommodatior esset. Tanta illi gloriæ libido. A. *Ælian. de Var. hist. l. 11.* Alii Ichum appellant.

## NIMIA DILIGENTIA, VIDELICET

### CONTEMPLANDO.

DEMOCRITUS cucumeris dulcedinem investigat. *Vide Tit. Inutilia tractare.*

### INVENIENDO.

XENOCRATES syllabarum numerum ex mutua litterarum F compositione deprehendit exurgere ad ducenties decies millies decem millium myriadum. *Plut. l. 8. Conv. q. 9.*

CHRYSIPPUS ex decem dumtaxat pronunciatorum concursu effici docuit decies centena millia. Hipparchus verò demonstravit affirmativum complecti centum millia, mille, & XLIX. negativum ejusdem CCC. millia, nongenta quinquaginta duos. *Plut. ibid.*

### DOCENDO.

BARTOLUS quinquennium integrum *in repet. l. de ætate ff. de minorib.* consumpsisse dicitur.

THOMAS HASELBACHIUS, Theologus, & Professor Viennensis, duos, & viginti annos in primo capite Isaiæ explicando consumpsit, teste *Æneæ Sylvio l. 1. Epist. epistola* 165. Qui si talem methodo historiam, quam meditabatur, scripsit, Antimachi Thebaida longè superavit.

### DICENDO, DECLAMANDO.

SI THEOPHRASTO credimus viro præ cæteris philosophis multæ inquisitionis, & lectionis, inveniédi ea, quæ causæ conferrent, atque excogitandi, omnium fuit Alcibiades acerrimus. Cùm verò investigaret non tantùm, quæ dicenda essent, sed quibus quæque nominibus, & verbis, atque eum illa subinde præteri- G rent: offendebat, & inter dicendum obmutescebat, interquiescebatque fugiente ipsum dictione, excutiens memoriam, & rem reputans. *Plut. in Alcib. & præcept. polit.*

LICINIUS CALVUS orator exquisitum quoddam, & accuratius dicendi genus afferebat: quod quanquam eleganter tractaret, nimium tamen inquirens in se, atque observans, metuensque ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdebat. Itaque ejus oratio nimia religione attenuata, doctis, & attentè audientibus erat illustris, à multitudine autem, & à foro, cui nata est eloquentia, devorabatur. *Cic. in Orat.*

### CONCIONANDO.

ALEXANDER, Episcopus Alexandriæ nuper in locum demortui Achillæ suffectus, ecclesiam de more advocavit, ac præsente clero subtilius aliquanto, quàm moris erat, de sancta Trinitate cœpit disserere; filium ejusdem substantiæ, atque honoris esse cum patre, adversùs Paulum, Apollinaremque præcipiens. Ubi verò peroravit, clerum, quid sui judicii esset, rogavit. Tum Arrius presbyter, sacrarum literarum interpres, homo multarum doctrinarum cognitione imbutus, sive odio, quo erga illum flagrabat, inductus, sive Sabellianam hæresim, unam H tantùm, ut substantiam, sic personam constituentem, aversatus: ad opinionem prorsus contrariam declinavit, ac Christum creaturam, & factum esse, sibi videri respondit. Nam si pater, inquit, filium genuit, qui genitus est, suæ essentiæ principium habuerit, necesse est: ita sit, tempus fuisse, cùm filius non fuit, eumque ex nihilo essentiam accepisse. Cùm autem hæc ita conclusisset, factum est, ut multorum, qui aderant, ad veritatem indagandam ingenia excitarit. Ex quo impia quæstio paulatim totam Ægyptum peragravit. *Sigonius l. 3. Imp. occid.*

### LEGENDO.

D. HIERONYMUS ob nimium Ciceronis studium ab angelo flagellis cæditur. *Vide Tit. Lectionis Delectus.*

### SCRIBENDO.

☞ *Vide Tit. Quinon scripsere, vel etiam scripta sua abolevere ob nimiam diligentiam.*

ISOCRATES ferè tres Olympiadas in scribenda oratione panegyrica posuit. *Plut. de Gloria Athen.*

*Horat.*

*Horat. lib. sat.* 3. introducit Damasippum Stoicum reprehendentem quendam his verbis:

*Sic verò scribis, ut toto nón quater anno*
*Membranam poscas, scriptorum quæque retexens,*
*Iratus tibi, quòd vini, fommique benignus*
*Nil dignum sermone canas.*

Timolaus Larissæus Macedo, Anaximenis Lampsaceni discipulus, rhetor, & poeta, *in Homerica Iliade*, heroicum heroico addidit ut, μῶλ ἀιδὸς διὰ πικριδὸς ἀκχιλῆος, ἢ ἔδεστο χρύσου κεχρωμένος αἰγιόχοιο. *Gyral. Dial.* 3. *Hist. poet. ex Suida.*

NICANOR Alexandrinus Grammaticus, Stigmatias est cognominatus, non à servili fœditate, sed quòd anxiè, soliciteque lucubrationibus aliquod περὶ στιγμῆς conscripsisset, id est, de punctis, sive distinctionibus, quibus utimur in scribendo. *Cælius lib.* 7. *cap.* 31. *A. L.*

LEGES PONENDO.

ALFONSUS Cangensium Æthiopum rex, ad fidem Christi studio Emmanuelis Lusitaniæ regis conversus, quinque libros Lusitanarum legum cùm diligenter evolveret, legum quidem sapientiam, & ordinem, atque disciplinam reip. laudavit: sed rebus etiam munitissimis leges certas inventas esse, non facilè probabat. Itaque hanc legum exactissimam diligentiam irridens, de Lusitanis quæsivit: Quænam pœna esset iis, qui in terra pedem ponerent. *Osorius lib.* 10. *rerum Emmanuelis.*

Apud priscos superstitiosè servabatur, ut qui in actione instituenda, vel verbo lapsus esset, causa caderet: cujus superstitionis vestigia non exigua adhuc resident apud Anglos, interdum totum instrumentum reiicientes, si cognomen aliquod una litera secus fuerit scriptum.

CONVIVANDO.

In more positum fuit apud Antiquos in cœnis præfecto conviviis schedulam dari, quæ descriptionem haberet eorum, quæ parata fuissent, ut quod obsonium priùs coquum mittere oporteret, sciret. *Athen. lib.* 2. *cap.* 7.

LUDENDO.

☞ *Ex Tit. ludicra tractare, huc quædam.*

ALEXANDER amicis nonnullis, quos in tesserarum ludo animadvertit seriò agere, mulctam indixit. *Plut. in Apoph.*

MECHANICA TRACTANDO.

CALLIMACHUS Athenienſis marmorarius, quòd semper esset calumniator suijnec finem haberet diligentiæ, κακιζότεχνος dictus est, teste *Plinio l.* 34. *c.* 8. dictus est, & πυξίτεχνος, quòd artem subtilius expoliisset: sive, ut *Pausanias in Atticis* inquit, quòd primus lapides perforarit, perduteritque minutim, πυξὶν enim idem est, quod κατατιμῶν, id est, comminuo, attero. *Vitruvius etiam l.* 4. *c.* 1. inventorem fecit Corinthiarum columnarum.

APOLLODORUS statuarius insignis, sed plus nimio exquisitæ diligentiæ, ut crebrò perfecta jam signa frangeret. *Plin. lib.* 34. *cap.* 8.

LUCTANDO.

NERO Imperator luctabatur assiduè, nec aliter certamina gymnica Græcia tota spectaverat, quàm Brabeutarum more in stadio humi accidens, ac si qua paria longiùs recessissent, in medium manibus protrahens. *Suet.*

## * Diluvium.

☞ *Consule Locum de Aqua. §. Diluvione.*

QUID SIT.

DIluvium vocamus ingentem aquarum eluvionem, à mari, vel aliundè etiam provenientem, quam Cataclysmum alii dicunt, voce Græca Κατακλυσμὸς, cujus frequens mentio est apud veteres Philosophos. Illi enim magnum quendam annum imaginabantur, cujus hyems esset Cataclysmus, æstas verò Ecpyrosis.

UNIVERSALE.

Omnium eluvionum maxima, fuit universalis cataclysmus, cujus historia extat apud Moysen *Genesis c.* 7. & meminit ejusdem Hieronymus Ægyptius, qui antiquitates Phœnicum scripsit. *Josephus l.* 1. *Antiquit. c.* 3. in cujus consideratione quædam occurrunt, ac primùm quidem.

ILLIUS TEMPUS.

Dicit Scriptura, Anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimodecimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt. Ex quibus intelligunt plerique Doctores communiter, Diluvium evenisse, aut incepisse saltem secundo mense anni M. DC. quinquagesimi sexti, à Creatione mundi, tot enim anni supputantur à creatione usque ad Diluvium. Quamvis alii aliter supputent. Idque XVII. mensis secundi, qui Iiar dicitur, & Aprilis, vel Majo nostro respondet. Cæterum Josephus annum ab autumno incipiens, dicit mensem hunc secundum intelligendum Marchesvan, qui nostro Octobri respondet. Cedrenus autem affirmat diem hunc fuisse Dominicum: eoque cœpisse, & finivisse Diluvium. Fides sit penes illum. Accidit autem anno sexcentesimo vitæ Noe inchoato. Vixit enim ille annis CCCL. post diluvium, & in universum annos DCCCCL.

Ex Moysis narratione, generalis hujus Cataclysmi causæ assignari videntur, disruptio fontium abyssi magnæ, & cataractarum cœli apertio, quasi una causa intra, altera suprà terram ponatur. Existimat Philo hujus diluvii causam maris tumorem, fluminum omnium incrementum, & imbrium deciduorum continuationem. *Seneca l.* 3. *q. natur. c.* 27. *& seq.* easdem causas etiam Diluvii ponit, quibus addit coitionem omnium siderum, quæ vim habent imbriferam.

Ovidius initio Metamorphoseos describens Diluvium Deucalionis, quod in Thessalia evenit, enarrat tamen illud, perindè ac si fuisset universale, totam Terram, Parnasso excepto inundans, causamque attingens, ait:

*Fit fragor, & denſi funduntur ab æthere nimbi.*
*Nuntia Junonis varios induta colores*
*Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus affert.*
*Et statim —— aperite domos, ac mole remota*
*Fluminibus vestris totas immittite habenas.*
*Jusserat. Hi redeunt, & fontibus ora relaxant;*
*Et defrænato volvuntur in æthera cursu.*

Certum interim est, Moysen significasse nomine abyssi ruptæ, & cataractarum apertarum, subterraneas cavernas, quæ aquas continent, & intrà ima terræ viscera concludunt, fuisse disruptas, ipsamque aeris regionem mediam, in qua ex densatis nubibus generantur imbres, decidisse, id est, immensam vim aquarum profudisse, ac pluisse quadraginta continuis diebus.

Verùm quamvis hæ causæ naturales inundationem maximam causaverint iisque velut instrumentis Deus usus fuerit, tamen integræ hujus eluvionis hanc causam extitisse, repugnat Philosophorum placitis, quæ negant, posse ulla vi, aut confluxu naturalium agentium, totius universi evolutionem induci. De qua quæstione vide *Pererium in cap.* 7. *Genes. Comment. Collegii Conimbric. in l. Meteor. Tract.* 8. *c.* 10.

Item repugnat Scripturæ sanctæ, quæ diluvii causam assignat peccata hominum. Universa enim caro corruperat viam suam. Ideòque dicit Deus. Finis universæ carnis venit coram me, q. d. instat dies, quo decrevi perdere orbem diluvio. *Genes. cap.* 6.

QUANTUM FUERIT.

Scriptura testatur, aquas in tantùm prævaluisse super terram, ut omnes montes sub cœlo operirentur, & aqua quinque cubitis eos excederet, obtinerentque CL. diebus. Certè non potuit expressius magnitudo Diluvii exprimi. Unde fabulosum est, montes aliquos altissimos non fuisse obrutos, cùm sententia Scripturæ sit generalis, & asserat, aquam cubitis quinque excessisse omnes montes: adeòque attigisse partem inferiorem mediæ regionis aeris, ut censet Peretius; sic ut etiam Paradisum terrestrem inundaverit, & destruxerit.

QUAMDIU DURAVERIT.

Significat id Moyses verbis ultimis capitis, dum dicit: aquas obtinuisse centum, & quinquaginta diebus, computatis nempè à XVII. mensis secundi, usque ad XXVII. mensis septimi, quando aquæ sunt imminutæ, & Arca quievit in montibus Armeniæ. Quamvis non desint, qui hoc C. & L. dies numerent ab ultimo die pluviæ, quam dixit Moyses quadragenariam, & ita sentiunt *Josephus l.* 1. *Antiq. & Chrysost. hom.* 25. *in Genesim.*

AN COGNITUM AB ETHNICIS.

Multi Ethnicorum scriptorum hujus Diluvii meminere, nominatim *Josep. l.* 1. *Antiq. Berosus Chaldæus*, teste ipsomet Josepho: *Nicol. Dam. Mnaseas*, & alii plures à Josepho allegati, *Abydeni*



*Abydeni* historici veteris de hac re narrationem refert *Euseb. l.* 9. *de præparat. Evang. sub initium, cap.* 4.

PLATO in Timæo inducit sacerdotem Ægyptium ex Sanct. Ægyptiorum libris Soloni referentem, ante particularia diluvia Græcis celebrata, fuisse maximam quandam terræ inundationem, & vastationem, quæ alia intelligi non potest, quàm Noetica. Etiam Pomponius Mela, & Sidonius de urbe maritima Judeæ Joppen scribunt: eam antiquissimam, fuisse nempe ante diluvium, quod de aliis Diluviis intelligi nequit, quæ fines Græciæ non excesserunt.

Quæ cecinit Ovid. de Diluvio Deucalionis, Noetico per omnia conveniunt. Quamvis etiam verum sit, quod habet *August. l.* 8. *de Civit. c.* 8. Græcis, & Romanis historicis (non barbaricis) ignotam fuisse hanc Diluvii historiam.

* PARTICULARIA DILUVIA. ut puta

☞ *De Diluviis Ogygis, Deucalionis, ac aliis nonnullis, consule Titulum de Aquis. §. Iluvies.*

Anno Domini MCCCCXXI. in finibus territorii Dordraceni, inopinatò sub noctem mediam ingens inundatio Rheni, Mosæ, & Vahalis LXXII. pagos involvit, & in iis facilè centum hominum millia demersit. Cujus rei non aliud monumentum extat, nisi quod turris quædam pagi de Batzen sua mole superstes, in mediis aquis emineat, & instar speculæ, errabundis in vasto æquore navibus iter demonstret, quæ tamen anno 1624. collapsa fuit. Ferunt sub id tempus maximam cadaverum congeriem fluxu aquarum redeuntium, ad littora Zelandiæ, & Flandriæ advectam. Quin infantes aliquot Antuerpiam appulsi in fiscellis suis, sive cunis, ac plerique illorum ab aquis sumpti, nomen Moysis meruerunt, diùque supervixerunt, ceu reliquiæ demersorum pagorum.

Lovanii quoque an. M. DLXXIII. 8. Jan. tanta fuit illuvies, Dilia, qui fluvius urbem perlabitur; hybernis nivibus intumescente, ut & mœnia, portasque, & validissimam turrim, cataractas, ac supra CC. ædificia convelleret, ac potissima urbis parte navigiorum beneficium adhiberetur. Reperitur quibusdam adhuc locis, quæ præterlabens fluvius usque ad 12. cubitus inundaverat; certa nota cum inscriptione anni, quo hæc illuvies contigit, neque adhuc restaurata sunt ea, quæ aquarum impetu tum fuerant convulsa, & disiecta. *Gemma de natur. divinis characterismis l.* 2.

Romana Civitas crebris inundationibus à Tyberi fluvio celebratissimo impetitur, an nonnunquam tantùm luti invehi perhibent, fortassis quod alibi imbres frequentiores, & mollior sit humus, per quam dilabitur; ut ipsum aerem inficiat, & varias infirmitates causetur.

ABRAHAMUS ORTELIUS in Theatro suo Orbis universi, describens Hyberniam, insinuat de Lacu Erno, quòd olim Mons fuerit, sed propter nefandam incolarum bestialitatem, sive libidinem quam cum bestiis exercebant, in tantum aquarum diluvium erupisse, ut totum illius Regionis ambitum unà cum hominibus demersit, atque in rei gestæ veritatem etiam hodiè sereno cœlo, sub aquis se ostendere turres templorum, *Cambdenus in descript. Hiberniæ* describit hunc lacum amplitudine sua complecti 30000. passuum in longitudine, & in latitudine XV. millia, ac in eo tantam esse piscium copiam, quanta usqiam legitur. Refert. *Camerar. in horis succiſ.*

## Diœcesis. Diœcetæ.

QUID SINT.

DIœcesis propriè administrationem Domus significat. Græci enim domum œcum vocant. Unde Diœcetæ administratores sunt domus, & quia quod paterfamilias est in domo, id Imp. est in Imperio, diœcesis pro administratione Imperii accipitur. Immò Æschines διόικησιν τοῦ πόλεως, administrationem vocat civitatis, & Plato, statum popularium διοίκησιν & δῆμον.

Una autem Provincia plures habebat Diœceses, ut constat ex *Cic. l.* 13. *Epist. ad P. Servilium.* Alioquin sub Imperatoribus Diœceses dictæ sunt administrationes multarum simul provinciarum, quæ coactæ in unum per præfectos regebantur.

Etiam Diœceses vocabantur Tractus. *l.* 1. *C. ut omnes Judices.* Septem autem orienti, & sex occidenti Diœceses attributæ, quæ tractus dicuntur. *l.* 11. *C. de fund. patrim.* Conc. Chalced. Act. XV. Diœceses vocat Regiones, hinc Concilia Diœcesana, Regionalia dicuntur. Harum autem Diœcesium unaquæque plures complectebatur Provincias. Orientis Diœcesis XV. Provincias continebat. Ægyptiaca sex, Asiana decem, Pontica decem, Thracia sex. Occidentis Diœcœses sex erant, habebantque plures provincias. Italica XVII. Africana VII. Gallica. XVII. Hispanica VII. Britannica V. ut est notitia Imp. Rom. Nunc verò vocabulum Diœcesis communiter usurpatur pro territorio Episcopatus alicujus particularis, cujus subditi dicuntur Diœcesani. Diœceses autem Christiani sensu, veteris ac novi, quære *in Titulo de Episcopis, & Episcopatibus.*

DIOECESIUM DIVISIO, QUANDO FIERI COEPTA.

Notavit hoc Duaren l. *de sacris Eccl. Minister.* dum dicit, quòd in primitiva Ecclesia, sub Apostolorum, & illorum, qui his immediatè successerunt, regimine, fuerit communis Presbyterorum in qualibet civitate administratio (Notum est enim ex historia Actorum apud Lucam, & Epistolis Paulinis, per singulas civitates constitutos fuisse Presbyteros, sive Episcopos, aut Pastores, quæ nomina sæpe apud veteres pro iisdem usurpantur,) Verùm cùm illa communis administratio haberet sua incommoda, propter dissidia, & contentiones, quas pariebat: & ne unusquisque ad se trahens rete istud Christianum, in quo boni, & mali pisces congregantur, illud rumperet, operæ pretium duxerunt, in singulis civitatibus unum præficere ex ordine presbyterorum cæteris, qui certos vicos, & limites administraret. Et ita dividi cœperunt Regiones, sive Diœceses, & assignari certis presbyteris, sive Episcopis, qui sua Regione contenti, ab alienis abstinerent. Atque hinc etiam parœciarum institutio cœpit.

Hujus rei auctor fuisse videtur Dionysius urbis Romanæ Episcopus, ut constat ex ejus *epist. ad Severinum Episc. Cordub.* apud *Grat. c.* 1. 15. *q.* 1. qui Romæ eam divisionem fecerat, & ut per Cordubensem provinciam etiam fieret, per epistolam monet, vultque omnes Episcopos passim ita facere.

Sed quidquid sit de Dionys. constat ex Platina, & aliis historicis, divisionem quandam titulorum, & Diœcesium Romę factam Evaristo, & Marcello Pontif. Qui etiam an primi id fecerint, arbitratur Duarenus, non multùm ad rem facere.

Fatetur idem Duaren. suprà ipsam Diœcesim appellari nonnunquam à veteribus Parœciam. *Vide Tit. de Parœchia & Par.*

## * Discere. Discipuli. Disciplina.

* DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

DIsciplina Græcè μάθημα, & μαθητὴς discipulus, & μανθάνω, doceo dicitur. Est verò disciplina, morum ordinata correptio, & majorum præceptorum cedentium parum regularum observatio. *Ex Cap. & Aug. l.* 1. *de abusib. Tom.* 9. *oper.*

Disciplina est observatio bona & honesta, cui parum est malum facere, sed studet & his, qui bene agunt, per cuncta irreprehensibilis apparere. *secundùm Hugonem de S. Victore.*

Disciplina est pars potentialis justitiæ contenta sua humanitate, *secundùm B. Thomam* 2. 2. *quæst.* 80. *art.* 3.

EXEMPLA, ET APOPHTHEGMATA.

SOLON, cùm ejus nepos ex fratre inter pocula carmen quoddam Sapphus cecinisset, delectatus est illa cantilena: & jussit adolescentem, ut eam se doceret. Cùm autem quidam interrogasset, quam ob causam hoc desideraret? respondit: Ut postquam ipsam didicero, moriar. Voluit autem ostendere, quàm avidus disciplinæ fuerit: ut qui morti jam proximus, ab aliis doceri non erubuerit. *Ælian. de var. hist.* Idem gloriari solebat, se aliquid quotidie ad discentem, senem fieri. Tanta enim homini sapientissimo inerat discendi cupiditas, ut senio jam gravatus, non minùs philosophiæ incumberet, quàm cùm adolescens, ac juvenis fuisset, sciebat enim hæc studia magnum senectutis solatium esse. *Cicero in Catone Majore.*

ANTISTHENES, Ejus placita non indigna sunt, quæ commemorentur: dicebat, τοῦ ἀριθμοῦ εἶναι δύναμιν, Id est, virtutem discì posse. Adversus eos, qui putant nasci cum homine, aut naturæ affectus studio vinci non posse. *Laert. l.* 6.

ZENO dicitur consuluisse oraculum, quo pacto posset vitam optimè instituere, respondit vates, εἰ συγγραφεὺς οἱοῖς νεκροῖς. Id est, si concolor fieret mortuis. Ille sentiens, se vocari ad lectionem veterum, contulit sese ad philosophiam. Dicitur autem Zeno natura fuisse colore fusco. Studium, ac victus parsimonia maciem, & pallorem conciliat homini. *Laert. l.* 7. *c.* 1. Idem Zeno, licèt jam profecerat, tamen modestiæ gratia commeabat ad Polemonem, apud quem in Dialecticis exercebatur. Unde Polemonem solitus est dicere: Non me clam est Zeno, te per postieum irrepere, furarique dogmata, quibus Phœnicum more indutus es. Notans, illum furtim discere gratis, quæ aliis esset venditurus. *Laert. lib.* 7. *c.* 2.

DIOGEN. Athenas profectus, ad Antisthenem se contulit,

à quo sæpe repulsus ( nullum enim discipulum recipiebat Antisthenes ) non destitit tamen hærere : adeò ut cum aliquando baculum intentaret Antisthenes : ultro baculo caput subjecerit, dicens : Cæde si vis : at nullum invenies baculum tam durum , quo me abs te abigas , dum aliquid dixeris. Insigne exemplum adamatæ sapientiæ. *Laert.l.6.c.2. Ælian.lib. 10. de varia. hist.*

Democrit. arrodens cucumerem, sensit humorem esse melleisaporis, rogavitque famulam, unde emisset ? Illa nominavit hortum . Surrexit Democritus: Et, duc me, inquit, eò, ac locum indica . Demirante mulierculà, quid sibi vellet ? Ut, inquit, dulcedinis causam inveniam : inventurus, si locum inspexero . Hic muliercula ridens: Quiesce, inquit, ò bone . Nam ego imprudens cucumerem immiscram in ollam melliram . At ille offensus: Molesta es, inquit, ego tamen incumbam, quæramque causam : quasi cucumeris peculiaris sit ac genuina dulcedo . Sit hoc exemplum studii indefatigabilis . *Laert.lib.9.cap.7.*

Cleanthes Antigono discipulo roganti , cur sordidam operam præstaret hauriendo aquam è puteo, unde per jocum pro Cleanthe dictus φρεωντλος, ita respondit, Num haurio tantùm ? an non & fodio , & rigo hortum , denique nihil non facio philosophiæ causa ? Alius negasset factum : Philosophus auxit, quod obiiciebatur, gloriæ sibi ducens, quòd ille vertebat probro . *Laert.l.7.c.2.*

Metrocles dicebat, res alienas emi pecunia , ut domum , vestem, & alia : disciplinas autem liberales emi tempore. Requirunt enim diuturnum studium , & indefessam diligentiam. *Lib.6. cap.6.*

Socrates . Et in senectute citharam pulsanti , & aberranti, dixit quidam. Tun'adeo senex cithara ludis ? respondit ille ? Atqui præstat fero, quam nunquam discere . *Stob. ser. de assiduitate.*

Isocrates , apis, inquit, omnibus floribus insidet , à singulis, quòd utile est, accipiens . Ita doctrinæ cupidus nihil non attingit, undique , quæ sunt utilia , colligit . *Max. serm. 19.*

Demosthenes, interrogatus . Quo pacto sibi oratoriam facultatem comparasset ? Plus olei, inquit, quàm vini mihi consumptum est. *Stob.ser.27.* Idem, Tanta diligentia versatus est in oratoria , ut nullam aliam ob causam magis se dolere dixerit , quàm si quando opificum antelucana victus esset industria. *Cicero l.4.Tusculanarum quæstionum.*

Salvius Jul. tum eximia juris cognitione , tum multorum principum amicitia clarus, solitus erat dicere : Et si alterum pedem in sepulchro habetem, ad huc addiscere vellem. *Refertur Pandectarum l.4. Tit. de Fideicommissis l. apud Jul.* Hæc sententia optimo jure placuit laudatissimis viris . Sed hodie passim audimus has voces : Jam adultus sum , serum est discere . Immo hoc turpius est nescire, quæ cognitu digna sunt , quod adultus es .

Alphons. Rex, cùm aliquando de jactura rerum pretiosarum sermo haberetur, persanctè affirmasse dicitur : Malle se gemmas, uniones, margaritas suas, quæ quidem essent in orbem omnem terrarum diffamatissimæ , quàm libros qualescunque perditum iri. *Panorm.l.4.de reb.gest. Alphons.*

Antisthenes , Cùm adolescens quidam Ponticus genere , se in numerum discipulorum illius recipi cuperet, patri quærenti, quibus rebus esset opus ? Libro ( inquit ) novo , stylo novo, novaque tabella , Significans, animum à vitiis vacuum, studium vigil, memoriam fidelem . Solent autem adolescentes voluptatibus, ac deliciis occupatam mentem ad præceptorem adferre , quæ res fere in causa est, ut minus proficiant. At philosophia totum animum sibi postulat . *Laert. l.6.c.1.*

Aristotheles Stagirita interrogatus , quo pacto fieret, ut discipuli quam plurimum proficerent : Si, inquit, præcedentes graviter insequantur , sequentes non morentur . *Laert.l.5. c.1.Brusonl.2.c.23.*

Dionysius , cùm Platoni diceret, aliquis auferet tibi caput : Xenocrates, qui tum præceptori aderat. Non prius, inquit , quàm hoc, suum ostendens. *Laert.l.4.c.2.*

Alexander, cùm interrogaretur ; Utrùm magis desideraret, patrem Philippum, an Aristotelem præceptorem : Magistrum, inquit. Ille enim, ut essem, hic autem, ut præclarè institutus essem, author fuit. *Anton. in Melisf. part.2. serm. 11. & Max.serm.23.*

Bion. Arrogantiam dicebat esse profectus obstaculum. Indocilis enim est, qui mavult doctus videri, quàm esse. *Laert. lib.4.cap.4.*

Idem. Cuidam obiicienti , quòd adolescentem quendam ad se non pellexisset : Tenellus, inquit Bion, caseus non attrahitur hamo . Significans, pueros delicatos non esse studiis accommodos. *Laert.l.4.c.7.*

Zeno, cùm quendam ex discipulis inflatum, turgidumque esse nosset, sed desidem,ac ignavum, percutiens dicebat : Non si magnus fueris , bonus, & eruditus eris : sed si bonus, & eruditus, tum demùm revera magnus eris . *Bruson. lib. 13.cap. 23.*

Diogenes adolescenti cuidam, qui apud illum volebat philosophari, pernam dedit deferendam, ac sequi jussit . At ille disciplinæ impatiens , abjecta quam ferebat perna, abscessit . Sed post aliquantulum temporis occurrens illi Diogenes : Tuam, & meam, inquit, amicitiam perna dissolvit . Sensit autem obiter philosophus clarissimus, eum nequaquam bonum fore discipulum , qui præceptoris moribus se non accommodaret, ac in licitis, & honestis suum denegaret præceptori officium. *Bruson.lib.2.cap.23.*

Theodorus dicere solebat Protagoram præceptorem omnium fidelissimum, dextra manu porrigere auditoribus suis scientiam, illos verò sinistra accipere. *Bruson. lib.6.cap.2.*

Isocrates Ephorum Cumanum, qui scholam ipsius reliquit nullo profectu, atque ob id à patre Demophilo denuò missus est, ut ab integro data mercede discipulum ageret, δίφρον, appellabat: Diphros enim Græcis dicitur currus, quòd duos ferat, pugnantem , & aurigam. Isocrates autem ex vocis etymologia captavit jocum in stupidum discipulum, qui bis attulerit mercedem. δίφρον enim dici videtur ἀπὸ τοῦ δὶς φέρειν, id est à bis ferendo. *Erasm.l.8.Apoph.* Idem, cùm diversis moribus, & ingeniis haberet discipulos, Ephorum scilicet, & Theopompum: se calcaribus in Ephoro , contra autem in Theopompo frenis uti solere dicebat. *Cicero ad Atticum, & de claris Oratoribus. Quintil.* etiam *l.10.c.1.Bruson.l.2.c.32.*

Philosophus quidam cùm duos haberet discipulos : alterum quidem laboriosum , sed hebetis ingenii , alterum ingeniosum, sed ignavum: Ambo, dicebat, pereatis : quoniam tu cùm velis, non potes : tu verò cùm possis, non vis . *Ant. in Malissa part.1.serm.5. & Max. serm.7.*

Stratonicus cùm doceret Macedonem quendam, nec ille quicquam proficeret, exasperatus in discipulum : In Macedoniam, inquit : pro eo quod alii dicunt, εἰς μακεδονίαν, si cui precantur exitium . Obiter notavit & Macedoniæ gentis Barbariem Auson. *Eidyll. 5.*

*Disce libens , tetrici nec præceptoris habenas*
*Detestere nepos nunquam horrida forma Magistri,*
*Ille licet tristis senio, nec voce serenus*
*Aspera contractæ minitetur jurgia frontis.*
*Nunquam immanis erit , placita assuetudine vultus*
*Qui semel imbuerit , rugas nutricis amabit.*
*Qui refugit matrem , pappos, aviasque trementes.*
*Anteferunt patribus , feri nova cura nepotes ,*
*Sic neque Pelidem terrebat Achillea Chiron*
*Thessalico permixtus equo : nec pinifer Atlas*
*Amphytrioniadem puerum, sed blandus uterque*
*Mitibus alloquiis teneros mulcebat alumnos.*
*Tu quoque ne metuas , quamvis schola verbere multo*
*Increpet, & truculenta senex gerat ora Magister.*
*Degeneres animos timor arguit : at tibi consta*
*Intrepidus , nec te clamor, plagæque sonantes ,*
*Nec matutini agitet formido sub horis ,*
*Quòd sceptrum vibrat ferulæ , quòd multa supellex*
*Virgea , quòd mollis scuticam prætexit aluta ,*
*Quòd ferunt trepido subsellia vestra tumultu.*
*Pompa loci, & vani fugitur scena timoris.*

Ovid. 1. de *Art.*

*Philyrides puerum citharæ præfecit Achillem,*
*Atque animos molli contudit arte feros.*
*Qui toties socios , toties exterruit hostes ,*
*Creditur annosum pertimuisse senem .*
*Quas Hector sensurus erat, poscente magistro,*
*Verberibus jussas præbuit ille manus.*

Vos pro modo vestro ministrate Christo bene vivendo , eleemosynam faciendo , nomen, doctrinamque eis quibus potueritis, prædicando . Et unusquisque paterfamilias hoc non ignorat paternum affectum suæ familiæ se debere pro Christo, & vita æterna : omnes moneat, doceat, corripiat , impendat benevolentiam, exerceat disciplinam . Ita, domo sua Ecclesiasticum quodammodo temporale officium impleat ministrans Christo, ut in æternum sit cum eo. *August. super Joan. homil.50. super illud 12. Qui mihi ministrat.*

Senex



Senex à juvene, & Episcopus tot annorum à collega necdum anniculo paratus sum doceri quomodo possim vel Deo, vel hominibus justam reddere rationem. *Aug. ad Auximium Epis. & habetur.24.q.3. can. Si babes de hac. §. Senex à juven.*

Sunt, qui scire volunt , eo fine tantùm ut sciant, & turpis curiositas est : & sunt , qui scire volunt , ut scientiam suam vendant , & turpis quæstus est : sunt , qui scire volunt , ut sciantur ipsi , & turpis vanitas est : Sed sunt quoque qui scire volunt , ut ædificentur , & prudentia est. *Bern.in Cant.serm.26.*

Sapiens quidam, cùm de modo, & forma discendi interrogaretur : Mens, inquit, humilis , studium quærendi, vita quieta, Scrutinium tacitum , paupertas , terra remota : Hæc reserare solent multis obscura legendo . Audierat puto , quod dictum est , mores ornant scientiam , & ideò præceptis legendi præterea quoque vivendi adjungit : ut & modum vitæ suæ, & studii sui rationem lector agnoscat. Illaudabilis enim est scientia , quam vita maculat impudica : & idcirco summopere cavendum est ei , qui quærit scientiam , ut non negligat disciplinam. *Hugo lib. 3. didascalic.*

Multos hoc decipit, quòd ante tempus sapientes videri volunt : ut jam & simulare incipiant, quod non sunt : & quid sunt, erubescere: & eo longius à sapientia recedunt, quod non esse sapientes se putari putant . Sed si magnorum , & sapientium vel scripta audierunt , vel verba, nos, inquiunt , vidimus illos, & nos ab illis legimur , sæpe nobis loqui illi solebant. Illi summi , illi famosi cognoverunt nos , sed ut me nemo agnoscat , & ego cuncta noverim. *Ibidem.*

Ab omnibus libenter disce , quod tu nescis : quia humilitas commune tibi facere potest , quod natura cuique proprium fecit. Sapientior omnibus eris, si ab omnibus discere volueris. Qui ab omnibus accipiunt , omnibus ditiores sunt . Audi Chrysippum in proverbiis : Quod tu non nosti , fortassis novit asellus. *Ibidem.*

Disciplina militaris.

☞ *Vide Locum de militia, & Militibus.*

Disciplina Ecclesiastica.

☞ *Quære Locum de Ecclesia.*

DISCIPLINA *ut est Pœna quædam, sive afflictio, & castigatio, videatur infrà hoc eodem Titulo.*

Ad disciplinarum cultum quæ necessaria.

Sex esse necessaria ad disciplinarum omnium cultum , asseruit in *Orat. quadam Philipp. Camerarius, inserta Tom.... oper.succif.c.2.* I. Ingenii acumen, & celeritatem , ut intelligendi, percipiendique facultate polleant, qui ad disciplinas accedunt. II. Constans assiduitas , qua omnes difficultates pervadat, quæ ita primo intuitu non cedunt. III. Memoriam , quæ fidus est custos omnium rerum . Tantum enim unusquisque scire æstimatur, quantum memoria tenet IV. Laborem exercitationis, qua unaquæque ars, & scientia absolvitur. V. Amorem veritatis, quo hauriantur dumtaxat ea, quæ regulis disciplinæ consortmantur, & profligantur contraria. VI. Ut solùm id, quod honestum est, & rectum, sequatur, & agat. Quippe virtus, & veritas inviolabili nexu junguntur.

## DISCIPULI QUORUMCUNQUE Qualescunque.

Edocti ab aliis.

*Propter relationem mutuam docentis , & discentis , alter absque altero nec existere , nec cognosci potest . Proinde exempla pleraque sub præceptorum loco posita respectu Agentis, hic respectu Patientis repeti possent , nisi tantologiam vitaremus.*

## QUI DIDICERINT. RESPECTU Qualitatis. Puta. Heroes.

Jason respondens Peliæ apud Pindarum *Ode 4. Pythiorum*, sic de seipso ait:

φεῦ· δι' ἀσκαλίαν
χέρνιβος οὔσαν ἀτρόδυ γὰρ νόμαν
παρ' χαρικλῆς ἐ φιλύρας, ἔνθ' κεν
σεύρα μεκῦρα δρέ-λαν αἰγνά.
ἔκοσι δ' ἐκτελάσας
ἐνιαυτὸς , ὑπ' ἄρχον
ὑπ' ἄπος ἐντράπελον
κείνοσιν εἰπὼν , ἐ.ὁμαν
οἰκαδ' ἀρχαῖαν κομίζων

*L.B. Theatr. vitæ Hum.* Tom. II.

πατρῴαν. Ajo me doctrinam Chironis ferre . Ex antro enim revertor, à Charicione, & Philyra, ubi Centauri me filiæ educarunt castæ . Ac viginti illic transactis annis, neque factum, neque dictum turpe apud illas proloquutus, abii domum versùs, antiquam curans patris mei domum.

*Reges discipuli aliorum.*

Institutæ erant apud Ægyptios diei, noctisque horæ, quibus Regi lege permissa agere fas erat . Manè surgentem regem primùm epistolas omnes missas capere oportebat : ut cognitis iis, quæ sibi agenda essent, responso dato, singula in tempore, exque ordine rectè agerentur . His actis, cùm in virorum excellentium cœtu lavisset corpus, vestem præclaram indutus sacra Diis faciebat . Sacerdotum princeps, juxta aram hostiis deductis , astante rege, magna voce audiente populo valetudinem prosperam , omniaque bona precabatur Regi justitiam in subditos colenti . Narrabat insuper particulatim Regis virtutes, in deos pietatem, ac religionem, in homine humanitatem servantis : tum illum continentem dicebat, justum, magnique animi veracem, liberalem, omnesque frenantem cupiditates : pœnas insuper mitiores quàm postularent errantis crimina exigentem, reddentem verò gratiam meritis ampliorem . Multa his similia postquam oraverat ille , tandem execrationem in malos exequebatur . Tum regem culpa purgans , omne crimen in ministros, qui Regi iniqua suaderent, conijciebat . His actis facerdos , & regem ad felicem, diisque gratam vitam hortabatur , & simul ad bonos mores, agendumque non quæ suaderent mali , sed quæ ad laudem , & virtutem maximè pertinerent . Demum cùm rex tauro Diis sacra fecisset , facerdos quædam ex libris sacris clarissimorum virorum consilia, actaque proferebat , quibus rex monitus, imperio piè, ac justè illorum exemplo uteretur . *Diod. lib.1.cap.6.*

Persarum reges, filios suos ubi jam septimum ætatis annum compleverunt, ad equestris disciplinæ magistros, atque ipsas venationes mittunt. Anno autem 14. curam ejusdem suscipiunt, qui magistri regii appellantur. Atque hi quidem ex universa Persia delecti quatuor sunt, cæteris omnibus virtute præstantes, sapientia, justitia, temperantia, ac fortitudine. Primus magiam docet, & regia instituta tradit. Secundus commonet, ut in tota vita veritatem præcipuè colat . Tertius, ne quo affectu, aut libidine superetur, sed liberè vitam agere assuescat, sibique ipsis primùm imperare, nec alteri servire . Quartus demùm, intrepidum illum & impavidum reddit. *Ex Platonis Alcibiade, Crinitus de Hon.discip.lib.1.c.1.2.*

Demetrius Poliorcetes capta Megara, ad se philosophum Stilponem vocari jussit, de quo magna quidem apud Megarenses, & cæteros Græcos in studiis sapientiæ erat opinio . Demetrius illum comiter affatus , perhumanè rogat . An ei milites aliquid ademisset ? Nihil, inquit Stilpo : scientiam adimere non potuerunt . Cætera non mea sunt, sed fortunæ . Captus Demetrius tempestivo hominis sermone , ex hoste ejus est auditor factus. *Sab.lib.7. Enn.4.*

C. Jul. Cæsar composita civili seditione per M. Lepidum, mortuo Sylla mota, Rhodum secedere statuit , & ad declinandam invidiam, & ut per otium ac requiem Apollonio Moloni clarissimo tunc dicendi magistro operam daret . *Suet.*

Tiberius, antequam imperio potiretur , vivo Augusto vitrico, Rhodum profectus est, ibique tanquam ex privatis unus gymnasia literaria frequentavit . Cùm circa scholas, & auditoria professorum assiduus esset, moto inter Antisophistas graviore jurgio, non defuit qui eum intervenienem , & quasi studiosiorem partis alterius convicio incesseret . Sensim itaque regressus domum , repentè cum apparitoribus prodiit : citatumque pro tribunali , voce præconis, conviciatorem rapi jussit in carcerem. *Suet.*

Valamirus Ostrogothorum rex Illyricum vastans, à Leone Imp. Græco in amicitiam susceptus est , sic ut Gothi Romanorum stipendiarii essent . Fidei sanciendæ causa Valamirus Theodemiri fratris filium Theodericum ex Aurilena concubina obsidem dedit , annum octavum ætatis agentem . Quem Leo ob morum, & formæ elegantiam , filii loco optimis artibus instituendum curavit , non obscura significatione , futurum illum aliquando urbis Romanæ, & Italiæ ab Herulorum tyrannide liberatorem . *Jo.Magnus lib.9.cap.9.*

In Zofalensium Æthiopum regis aula Regum filii , quos habet stipendiarios, nutriuntur , tum ut ea educatione Regem debita fide, & amore prosequi studeant , tum ut illis obsidibus Rex eorum parentes in officio , & fide contineat . Est maximo semper exercitu stipatus , quamvis summa pax, & otium cum omnibus finitimis nationibus sit illi firmo fœdere constitu-



tum:

tum : tunc enim censet sibi nullum à bello fore periculum ;
A cùm in pace bellum semper, Regum fortunis impendere suspicatus fuerit. *Osorius lib.4. rerum Em.*

*Docti homines, qui ab aliis didicere.*

ACADEMICUS ÆSCHINES, cùm sophistæ aliqui simulàre dicerent eum, fuisse Carneadis se, cùm non fuisset, auditorem : Ego verò tunc, inquit, Carneadem senem audivi, cùm abcessisset oratio ejus fragorem, & strepitum, atque intra utilitatem, & comitatem esset contracta. *Plut. An seni tractanda resp.*

CRITO Athenienfis cum quatuor liberis dedit operam Socrati. *Sab.l.2.Enn.4.*

PHILISÆUS ÆGINETA, cùm Athenas spectandi gratia venisset, audito Diogene, philosophiæ operam dedit. Hujus autem pater misit ad eum accersendum fratrem. Sed idem illic quoque. Denique pater utrumque revocaturus, ipse etiam philosophatus est. *Suidas.*

*Senex qui didicere.*

SOCRATEM ætate provectum sub Conno magistro fidibus tractandis operam dare cœpisse, constat : satius judicantem, ejus artis usum fore, quàm nunquam percipere, Solonis illud dictum : ὁ λιμὰδὴς μάθοι, ἢ ἀμαθὴς. *Val.lib.8.cap.7. & Cic.*
B *de Senectute, & Suidas.*

LACIDES Cyrenæus, Arcesilai in nova Academia successor, senex Geometriæ operam dare cœpit, Rogante quodam. Num verò nunc tempus? Respondit, Anne nunc quidem. *Laert.l.4.*

LYSIMACHUS philosophus, apud Platonem in Lachete dialogo de fortitudine, inquit; Statuo, quò senior sum, eò studiosius una cum adolescentibus discere.

CLITOMACHUS Carthaginensis, patria lingua Asdrubal dictus, Athenas venit jam quadragenarius, audivitque Carneadem. Ejus ille industriam admiratus, inter suos esse passus est. Promovit igitur tantùm, ut Carneadi successerit. *Laert. l.4.*

M. ANTONINUS Romanorum Imp. Sexto philosopho utebatur familiarius, invisens sæpè illius domum. Romam nuper venerat Lucius, vir sapiens, & Herodis sophistæ familiaris. Is ex occursu institit scisciteri, Quònam, aut cur pergeret? respondit Imperator : καλὸν γηράσκοντα τῷ μανθάνειν, pulcrum etiam senescenti discere : peto philosophum Sextum, perceptures quæ necdum edidici. Tunc Lucius prolata in cœlum
C manu : O Jupiter, ait, Romanorum Imperator, jam appetente senio, gestans librum, qui pueris mos est, præceptorem adit. At meus Imperator Alexander annum secundum, & tricesimum agens mortuus est. Erat verò Sextus Chæronensis, Plutarchi ex sorore nepos, qui de Pyrronica philosophia decem concinna vit libros. *Julius Capitolin. Philostrat. Cælius l.20.c.26. Antiq.Lect.*

Euridice, mulier Illyrica, modisque omnibus barbara, instituendorum liberorum gratia literis se dedit ætate jam provecta. Cujus in libros caritatem clarè demonstrat, quod consecravit Musicis, epigramma:

*Ingentem hunc Musis Hieropolitis amorem,*
*Quo mens flagravit, dedicat Euridice.*
*Mater adulterum litras addiscere doctas*
*Facta hæc natorum posset ut, incubuit.*

Plutarchus de Instit. liberis.

ROBERTUS Hierosolymorum, & Siciliæ rex optimus, fortissimus, atque doctissimus. Solonis hoc in ore habebat: γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος. Tanto autem literarum amore tenebatur, ut si sibi alterutro carendum esset regno, quàm literis se privari malle, asteneret. *Petrarch. de Studio.*

D LAURENTIUS VALLA, jam senex Græcas didicit literas, quibus, cùm plus satis operam dedisset, interrogatus à Nicolao V. Pont. M. cur tanto studio Græcis operam daret literis? Ut duplicem, inquit, abs te, Pontifex, mercedem accipiam. *Pontan.lib.de Principe.*

ALPHONSUM Aragonium Siciliæ regem, non septem regnorum administratio, curæque, non bella ingentia, quæ gessit, retinere potuerunt, quò minùs rex jam quinquagenarius, qui tot populis imperitabat, literario præceptori se subiiceret, ne Latinè loquendi usu careret: & ne Hispani literatum expertes, Liviana lectione fraudarentur, ipse Livium è Latina in Castulonensem linguam transtulit. *Fulg. lib. 8. cap. 7.*

QUANTITATEM. DISCIPULI.

*Multi.*

☞ *Vide Tit. Pædagogi publici, quatenus multos habuere discipulos.*

*Pauci.*

☞ *Si præceptorem spectet Infelicitas est. Sin discipulos, qui didicere, respectu Numeri consideratos, huc pertinent.* E

STRATONICUS cytharœdus, in gymnasio novem Musarum imagines, unamque habebat Apollinis, duosque discipulos: interrogatus is à quibusdam, Quot haberet Discipulos? Cum diis, inquit, duodecim. Jocus est in voce : σὺν θεοῖς, qua cùm præfationis loco, ad conciliandum, vel exprimendum favorem divinum, uti consueverunt Græci, ipse ad numerum denotandum jocosè transtulit, *Athen.l.8.c.7.*

ALEXINUM philosophum Eliensem, quòd in loco doceret insalubri, tum in rerum multarum, quæ usui erant necessariæ, penuria, Discipuli deseruerunt omnes : & quidem cùm vehementer probaretur, ac placeret. *Ludov. Vives De tradendis disciplinis, lib.2.*

LACTANTIUS FIRMIANUS Arnobii discipulus, cùm rhetoricam Nicomediæ doceret, infrequentia Discipulorum motus in Græca civitate, ad scribendum se contulit. Qua in re tantum valuit, ut post tempora Ciceronis ab eo secundus habea- F
tur. *Platina.*

A QUIBUS EDOCTI, INSTITUTI.

☞ *Disciplina, & Doctrina, Discipuli, & Doctores, mutuo dicuntur respectu. Est tamen cùm quis discit ab eo, qui non docet, vel saltem non vult docere. Exemplorum proinde varietas in suos locos subdividenda erit.*

A SEIPSIS. ΑΥΤΟΔΙΔΑΚΤΟΙ.

☞ *Αὐτοδίδακτοι Græci vocant, eos, qui absque ulla disciplina erudiuntur. Atque id rursus vel per se, solamentis agitatione, & contemplatione: vel ope, & subsidio librorum: In illis certè ingenii divinitas quædam apparet, propter quam ad Inventores quodammodò referendi essent. Inventio enim duplex est. Alii id, quod nondum inventum erat, inveniunt: alii verò id, quod inventum erat ab aliis, ipsi quoque à nomine admoniti inveniunt: cum nihil prohibeat, res easdem à diversis inveniri. At qui ope multorum magistrorum discunt, minori admiratione digni sunt, & huc pertinent rationes disciplinæ ab aliis perceptæ. Et priores quidem illi propriè, & simpliciter αὐτοδίδακτοι sunt appellandi: posteriores non absolutè, sed tantùm respectu præceptorum viva voce docentium, quibus caruerunt.* G

ANTONIUS, sanctus, & perfectus vir, Ægyptius monachus, sine ulla literarum scientia Scripturas divinas & memoriter audiendo tenuit, & prudenter agitando intellexit. *D. Aug. lib. de doctrina Christi.*

D. AUGUST. semetipsum in secunda pueritia (anno scilicet ætatis 12.) legisse, & intellexisse Logicos, & Rhetoricos Aristotelis libros, testatur lib.4. Confess.

D. BERNARDUS, literas suas in sylvis & agris didicit, meditando sacra eloquia, & orando : nec ullos unquam alios (ut idem de se testatur) habuit præceptores; quàm quercus, & fagos. *Marul.lib.2.cap.5. & Sab.lib.2.c.7.*

STEPH. anachoreta, cùm aliquando illiteratus, ac rudis haberetur, tantum in Marcoridis eremo manens profecit, ut neminem ad eum discendi aliquid gratia accessisse ferant, cùm idem discedens se satis edoctum diceret. *Marul.l.3.c.4.*

ARISTEAS Proconnesius, philosophus, cùm nullam sapientiæ opinionem apud suos haberet, eò quòd in ea comparanda nullis magistris usus videretur, finxit animum suum relicto cor- H
pore in aera sublevari, & per universum orbem vagari usque ad Hyperboreos & Indos, omniumque gentium mores, & respub. ex sublimi loco contemplari solitum. Quo commento, accedentibus etiam magicis præstigiis, auctoritatem apud suos sibi peperit. *Maximus Tyrius 22. sermone.*

PHERECYDES Syrus, tempore Halyattis Lydorum regis, absque ullo præceptore lectis Phœnicum scriptis non inter postremos præceptores Pythagoræ relatus est. *Suidas.*

HERACLITUS Ephesius, licèt (ut *Suidas* ait) nullum habuerit præceptorem, eò tamen assiduo studio pervenit, ut inter primos philosophos numerari mereatur. *Volat. lib. 16. Anthrop.*

ÆSCHINES Demosthenis æmulus, cùm in judiciis scribæ munere fungeretur, nullo docente ad tantam eloquentiam evasisse dicitur. *Girald. Dialog.7.Hist.poet.*

EPICURUS seipsum habuit magistrum, Itaque mirum non est, eum, in quo tam miraculosi eruditionis fomites fuerunt, tam plausibiles disputationes sustentasse. *Petrarcha.*

MANILIUS Senator Rom. vir ingenio divino, & moribus



A bus supra hominem factus est nullo præceptore doctissimus : qui de Phœnicis avis vita, & morte primus scripsit. *Plinius lib.10.cap.1.*

P. VIRGIL. MARO, si Petrarchæ credimus, nullum ex hominibus præceptorem habuisse legitur : verosimilius est illum in bicipiti (ut Satyricus inquit) Parnasso somniantem, tam divinum omnigenæ scientiæ, imprimis verò poeticæ spiritum hausisse. Vivos fortasse non habuit, quorum ope ad tantum eruditionis fastigium pervenerit : at mutos plurimos, quos imitatus est, ut *Macrob.l.5. & 6.naturalium* testatur.

APULEJUS Madaurensis nullius disciplina usus, tantus quantum scripta ejus testantur, asinus factus est, ut aurei cognomen meritò tulerit.

AVICENNA Medicorum Arabum facilè princeps, Logicos, Euclidis libros, ob præceptoris imperitiam, sola lectionis assiduitate intellexit. Lecto Alpharabii com. super Metaphysicis, desperatam jam divinæ philosophiæ cognitionem assecutus scribitur à *Sorzano in ejus vita.*

ARNOLDUS VILLANOVANUS absque magistro, mutis tantùm præceptoribus usus, sui temporis medicos, & philosophos omnes facilè superavit. Itaque cùm Galli prius discipli-
B næ causa Italos adire consuevissent, Arnoldum præceptorem nacti, suis semetipsi opibus sustentare Parisiis cœpere. *Symphorianus.*

JOAN. DOMINICI, patria Florentin. Cardinal. Ragusinus, annorum XVIII. ordinem ingressus, litterarum penitus ignarus, adeò profecit assidua lectione, ut more Augustini per se omnes ferè disciplinas comprehenderit : ut ipse in *quodam lib. ad Colutinum* testatur, & *Volat.l.21. Anthrop.*

Jo. PICUS MIRANDULA, naturæ miraculum, reconditam sapientiam nullius ferè præceptione, sola ingenii bonitate mutorum præceptorum subsidio assecutus est. *Joan.Francisc. in ejus vita.*

AB INTELLIGENTIIS edocti.

☞ *Plut. in Solone ἐνδεικνυμένους σοφίαν appellat. Exempla veterum poetarum huc pertinent, qui Musarum, & Apollinis afflatu doctissimi evasisse perhibentur.*

C A Deo, Θεοδίδακτοι.

BESELEEL Uri, & Hur nepos, ex tribu Juda omnis opificii mechanici peritiam, intelligentiam, scientiam divinitùs à Domino habuit, ut aurum, argentum, æs, gemmas, ligna artificiosè fabrefacere posset ad tabernaculum Domini in deserto inter Israelitas extruendum, cui socius addidit Deus Ooliab Achisamech F. ex tribu Dan, & aliis etiam opificibus peritiam auxit, ut opus à Domino Moysi injunctum perficere possent. *Exodi 41.*

SALOMON rex Judæorum sapientiam à Deo petiit, & eandem assecutus est, ut ad eum audiendum ab extremis Africæ finibus Nicaula regina Saba fuerit profecta. Neque in divinis tantùm, sed etiam in naturalibus ita excelluit, ut ab hysopo usque ad cedrum sapientissimè disseruisse, & scripsisse perhibeatur.

Quatuor spadones regios, Judæos, Danielem, Ananiam, Misaelem, & Asariam, Deus omnium rerum cognitione, & prudentia donavit, & imprimis Danielem omnium virorum & somniorum peritum reddidit. *Dan.1.*

HIEREMIÆ, qui ad mittentem se Dominum dixerat : Qui
D es dominator Domine? ecce ego nescio loqui, quia juvenis sum. Respondit Dominus: Ne dicas, quia juvenis sum: prius enim quàm formareris in utero, novi te: & antequam exires de vulva matris tuæ, sanctificavi te, & prophetam in gentibus constitui te. *Hieron. com. in Isaiam l.1.c.3.*

Apostolis divinitus in sacra die Pentecostes linguarum donum fuit infusum, ut cùm una sola lingua loquerentur, ab omnibus tamen intelligerentur. Sic enim Deus miraculosè voluit, & simul instrumentum propagandi Evangelii suis discipulis largiri.

HOR, Ægyptius abbas, litteras non didicerat : & oblato sibi libello, cum orasset, legere cœpit : neque minùs doctrinæ illi unius, aut alterius horæ oratio contulit, quàm aliis multorum annorum studium. *Marul. lib.2.cap.2.* Idem servo cuidam triduo oranti contigisse, *Fulg. l.1.c.6.* tradit.

MARIA Ægyptiaca ad summum omnis sapientiæ orandi assiduitate pervenit. *Ibidem.*

Servus quidam Barbarus, ætate D. Augustini, literas



ipsas nullo homine docente, triduanis precibus, ut sibi revelarentur orando, perfectè didicit, sic ut etiam codicem obla- E
tum, stupentibus, qui aderant, legendo percurreret. Testis ipsemet *l. 1. de Doct. Christ.*

ROMUALDUS abbas, ordinis Camaldulensis auctor, cùm ad Sutrii montis monasterium venisset, & ibidem sacra celebraret, aliquamdiù in eestasi raptus stetit : & Psalmorum interpres factus est, quorum paulò antè ne lector quidem satis idoneus fuerat. *Marul. l.2.c.4.*

BASILIUS Episcop. Efrem Syriæ solitatio, Græci sermonis usum à Deo precibus impetravit, cùm ille Syriacam linguam tantùm, in qua natus erat calleret. *Marul. l.2.c.2.*

THOMAS AQUINAS, cùm legere, scribere, disputare vellet, priùs orare solebat, Prophetarum vaticinia legens, incidit in locum explicatus difficillimum. Oranti ergo, Petrus, & Paulus Apostoli in visu affuerunt, & sensum Scripturæ, quam percipere non poterat, aperuerunt. Hanc rem ab ipso adhuc vivente se audivisse, Reginaldus frater post obitum ejus testatus est. *Ibidem.*

JOANNES Trajectensis Episcop. ab aratro ad Episcopatum vocatus sub Clothario rege, divinitus literarum, & virtutum Ecclesiasticarum cognitionem hausit. *Vide Tit. Doctorum* F
*Ecclesiast. septimi Sæculi.*

HILDEGARDIS Spanheimensis, abbatissa quæ octogenaria circa annum Christi 1118. obiit, multa scripsit, Latini licèt sermonis ignara, eruditione divinitùs hausta, quod ipsamet testatur in libro, qui Scivias dicitur, his verbis : Cùm quadraginta duorum, septemque mensium essem, maximæ coruscationis igneum lumen aperto cœlo veniens, totum cerebrum meum transfudit, & totum cor, totumque pectus meum velut flamma non tamen ardens, sed calens ita inflammavit, ut solem aliquam calefacit super quam radios suos ponit. Et repentè intellectum expositionis librorum, videlicet Psalterii, Evangelii, & aliorum Catholicorum tam veteris, quàm novi Testamenti voluminum sapiebam; non autem interpretationem verborum textus eorum, nec divisionem syllabarum, nec cognitionem casuum, aut temporũ habebam. *Auctor vitæ l.1. c.1.* Cæterùm usa est quodam Grammatico, qui casus, tempora, & genera disponeret, sed ad sensum, vel intellectum Scripturæ nihil omnino adderet, vel demeret.

A DÆMONIBUS. G

Ab Homero Minos Dei nuncupatur familiaris, id est, Platone interprete, assecla & discipulus. Neque enim privatos censebat, vel ignavos, vel domi resides, vel languidos discipulos esse deorum, sed reges : quibus si contigerit prudentia, justitia, humanitas, & magnanimitas, omnibus, qui cum eis agerent, essent commodaturi, & consulturi. *Plut.* Cum principibus philosophandum.

Pastor quidam Liburnus omnium linguarum notitiam ex morbo adeptus est. *Vide Tit. Mortui, qui revixerunt.*

Thynicus à Musis afflatus, hymnum absolutissimum composuit. *Vide Tit. Poetarum lyricorum.*

Enages pastor, divino afflatus numine, poeta evasit comicus. *Vide Tit. Comicorum.*

Pastor quidam ad Orphei sepulchrum dormiens, Orphei versus magna, & suavi voce decantare cœpit. *Vide Tit. Oracula non intellecta.*

Apud Phliuntem in postica fori parte domus est, quam Pliasii Fatidicam nuncupant. In eam ingressus Amphiaraus cùm noctem unam obdormisset, statim divinare cœpit, cùm antè indoctus planè fuisset. Id cùm ita evenisset, in reliquum omne tempus occlusæ illæ ædes fuerunt. *Pausanias in Corin-* H
*thiacis.*

PINDARO, per somnum Proserpinam deam observatam esse, & apud eum questam, quòd cæteri quidem dii ab eo hymnis celebrati forent, solam se ab eo præteritam, narrat *Pausan. in Bœoticis.* Id verò se facturum, cùm ad eam venisset, pollicitus est Pindarus. At cùm ante decimum diem is obiisset, Anui cuidam affini, quæ carmina persæpe canere consuerat, per somnum astitit, hymnumque in Proserpinam deam ille concinuit, quem illa experrecta statim exscripsit.

NUMA POMPILIUS genii cujusdam commercium, familiaremque congressum adeptus, divinarum est rerum peritissimus factus. *Vide Tit. Contemplatio theorica.*

SOSIPATRA circa Ephesum in campis Caystriis nata, patre Græco viro locuplete, quinquennium attigerat, cùm duo senes, manticis instructi, pelliti ambo, in prædium paternum Sosipatræ venere, & villico persuasere, uti sibi curam vineæ com-

mitteret. Hic cùm proventus præter spem extitisset copiosior, A prædii dominus eos mensæ suæ adhibuit. Illi forma Sosipatræ sauciati patri persuadent, ut sibi prædium cum Sosipatra in quinquennium concedat. Pater ille peregrinatum abit: exacto quinquennio redit, facta potestate filiam quidvis interrogandi, admirandam ejus sapientiam cognoscit, cùm quæcunque sibi eo quinquennio absenti contigissent, tanquam præsentia narraret: adeòque nullis aliis usa magistris, poetarum, Philosophorum, oratorum scripta omnia & intelligeret, & memoriter teneret, & interpretaretur. *Eunapius in vita Ædesii.*

Ædesius Chrysantii Sardiani pontificis, & magi filius, sub Juliano, solem tantùm spectans oracula fundebat, quanquam nec versuum legem sciret, nec dum grammatices præcepta calleret. Vicesimo tamen ætatis non decessit, Sathanæ Christianam religionem impugnantis ludibrium. *Eunap. in vita Chrysantii.*

## Ab Hominibus Eodem.

B *In genere.*

Hermolaus Barbarus Venetus, homo doctissimus, tam submissè sese gessit, ut à quovis discere non dedignaretur, sæpeque proximos, & familiares de aliquo dubio percontaretur. *Volat. lib. 21. Anthrop.*

Vellem, inquit *Vives*, ut docti aliqui delectarentur eo more, quem fuisse Caroli cujusdam Viruli narrari audiebam Lovanii, hominis non perinde literati, ut boni: nec illi ingenium avi diligentia defuit, sed locus, & tempora. Is Lovanii gymnasio Liliano præerat: & quia sub cura sua pueros habebat complures, ad visendos vel filios, vel propinquos, cùm venirent varii generis homines, colloqui illos cum eo erat necesse, & ut est consuetudo regionis, convivari etiam. Inquirebat horas aliquot ante convivii tempus, quibus in rebus plurimùm, & dextrè esset conviva suus versatus. Erat alius nauta, alius miles, alius agricola, alius faber, alius sutor, alius pistor: de eodem ipse artificio aliquid intereà legebat, & meditabatur. Tum veniebat ad mensam paratus, ut & oblectaret convivam sermone de rebus ipsi notis, & ab illo ita provocato intima, & secretissima artis facilè cognosceret, au- C diretque brevissima hora, quæ ille usu multorum annorum vix esset assecutus. Ita discebebat de colloquio, & conviva lætior, & convivator prudentior, ac peritior. Quantam prudentiæ humanæ opem ferrent, qui hæc mandarent literis, ut ab exercitatissimis in quaque arte accepissent. *Ludov. Vives de Tradendis disciplinis lib. 4.*

In specie. Ut puta à

*Poetis.*

Phalangem Macedoniam, quam cuneum Livius vocat, prædensi ordinis, excogitavit Philippus Alexandri Magni pater, ducto ab heroibus exemplo, quos clypeis clypeos junxisse, cecinit Homerus. Quo ritu qui armantur, phalangitæ dicuntur. *Diod. lib. 13.*

*Tranquillus* auctor est, puerum adhuc C. Jul. Cæsarem semper Euripidis carmen quod est in Phœnissis in ore habuisse: Si jus humanum violandum est, regnandi causa violari oportet: In cæteris rebus pietatem colas.

*Historicis.*

M. Agrippam (qui sapientia, & virtute animi dignus est habitus, quem Augustus, licèt plebejum hominem, unicæ D filiæ Juliæ virum diligeret) dicere solitum accepimus, plurimum se debere illi Salustianæ sententiæ, quæ in oratione Macæniffæ morientis habetur: Concordia parvæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur, per hanc enim se didicisse, & fratrem, & amicum bonum, ac fidelem agere. *Petrarcha.*

Alexander Severus in rebus dubiis historiæ gnaros solitus erat consulere. *Lampridius.*

Doctoribus, Præceptoribus, Philosophis, Litteratis.

☞ *Consule Tit. Doctorum, Præceptorum.*

Dion Syracusanus quamvis tinctus moribus esset sub tyranno Dionysio abjectis, vitæque obnoxiæ & tepidæ, arrogantiæ famulitio, insolentibus deliciis, & consuetudini summum bonum voluptatibus, & opulenta metienti assuetus, atque in iis volutatus: ut primùm tamen doctrinam gustavit Platonis, & philosophiam ad virtutem ducem, illicò est ad eam animo incensus: atque ex suo ad honestatem proclivi animi simpliciter planè, & juveniliter existimans ab isdem præceptis pariter Dionysium motum iri: contendit, & effecit, ut per otium ille convenitet, & audiret Platonem. *Plut. in Dione.*

Zenonis Cittiæi scholam sæpius rex Antigonus Demetrii filius ingressus, post ejus obitum dixisse fertur: Heu quale spectaculum perdidi? Quia in Persianacte portico frequens fuit: ab eo illius affectatores, qui Zenonii prius nominati sunt, Stoicorum nomen tulere. Eratosthenes poetas eos ab initio nuncupatos prodidit. *Sab. l. 8. Enn. 4.* B

P. Scipio in mediis difficillimi belli apparatibus bonarum artium studia non prætermisit, philosophorum scholas crepidatus frequentans. Et ne post tot insignes victorias animum sibi insolescere prosperis successibus rerum permitteret, cum literis, & literatis frequens versabatur. *Pontan. de Fortitudine, ex Plutarcho.*

Cn. Pompejus à bello Mithridatico revertens, Rhodum profectus, omnes liberalium artium professores audire pro non parvo habuit negotio, singulisque talentum unum dono obrulit. Posidonium Stoicę disciplinæ virum, qui tum fortè ægrotus jacebat, domi visere dignatus est. Cujus ædes subiturus, vetuit lictores ostium, ut moris fuit, pulsare, summissque invictus Imperator privatæ domui fasces, quibus penè totus se Oriens summiserat, Et in discessu interroganti: Numquid juberet? respondisse Posidonium ferunt: F

Α'ὴν ἀφικνοῦμαι τὸ ὑπάρχον ἐμμανθάνω,

*Se gereret clarè, atque alios excelleret omnes.*

*Strabo lib. 11.* Eodem tempore Cratippum Athenis adit: ejusdemque pòst colloquio recreatus est, cùm ex acie Pharsalica fugiens in Ægyptum profugit. *Ælian. lib. 7. de Varia hist.*

Cato minor postquàm sacerdos Apollinis est factus, vitam impendio magis astrinxit: atque Antipatro Tyrio Stoicæ sectæ philosopho in contubernium allecto, incubuit potissimùm ethicis, & politicis præceptis, atque ad omne genus virtutum quasi afflatu aliquo lymphatus est raptus. Supra cætera officia justitiam amplexus est rigidam, & inflexam ad benignitatem, vel gratiam. *Plut. in Catone.*

Carol. IV. Rom. Imp in scholam Pragensem aliquando ingressus, cùm disputantes philosophos per horas quatuor audivisset, & purpurati cœnæ tempus adesse dicerent: Mihi inquit tempus est minimè: nam cœna mea hæc est. *Æneas Syl. lib. 4. Comm. in res gest. Alphonsi, & Cranz. lib. 10. Vandal. cap. 1.*

Alphonsus Calabriæ dux senior, Ant. Panormitæ incredibili voluptate operam dabat, aliquid ex priscorum Annalibus referenti: quinetiam veterum ab eo scriptorum lectiones singulis diebus audiebat: ac licèt multis, magnisque interim gravaretur rebus & curis, nunquam tamen passus est, horam libro dictam à negotiis auferri. *Pontan. de Principe.*

Alfonsus Aragonum rex, scholas & auditoria, & Theologorum imprimis magnificè adornari curavit: interfuit quinetiam ipse lectioni, non pallio & crepidulis inambulans gymnasio, ut Scipio ille: sed attentissimo animo, & toto (ut ajunt) pectore incumbens: quodque & doctis imitandum, & ignavis, rudibusque pudori fit, pedes (etsi satis longè distaret auditorium) ad lectionem venire, pietatis studiorum flagrantissimus, non dubitavit. Virgilii Æneida tanti fecit, ut sedens Messanæ inter pueros etiam humillimæ conditionis, ab Ant. Panormita (qui ejus carmina explanabat) lectiones multas audiverit. *Panorm. l. 1. & 4. de Rebus ejus gestis.*

Lud. XII. Gallorum rex potentissimus, Ticini Jasonis Magni Jurecons. auditorium ingredi non dubitavit, ut oraculum illud Italiæ vivis auribus hauriret, cujus famam jampridem audiverat. Scholasticis manu silentium indixit, vetuitque eos assurgentes loco cedere, sed iis immixtus consedit, centum circumfusis proceribus nobilisf. Post lectionem sibi à latere comitem esse Jasonem tecto capite voluit, togaque aurata donavit. Multa autem cum ipso conferens, inter cætera etiam rogavit, cur Cœlebs viveret? Tum ille ambitiosius, quàm par erat, ut te intercedente, ò Rex, Julius II. Pontifex Max. me galero purpureo absque ullo religionis metu donare possit. *Jovius in Elogiis, & Bern. Saccus l. 8. Ticinensis hist.* H

*Impiis.*

Origenes Adamantius, ætatis suæ doctorum hominum facilè princeps, cùm Isaiam prophetam interpretaretur, minimè dedecori sibi esse duxit, ad Hebræum quendam Rabbinum confugere, ut ab eo disceret, ubi olim urbs Ariel fuisset: judiciumque illius secutus, ea revocare, quæ antè scripserat. Nam quanquam inter Christianos peritissimus esset, in Judaica tamen historia, peritiori in re sua Hebræo cedere voluit: quem aliis in rebus inferiorem magis, quàm parem habebat. *Fulg. lib. 8. cap. 13.*

D. Hie-



D. Hieron. à Barchanina Judæo in Bibliorum conversione A adjutus, non quòd puderet à Judæo discere, sed quòd Judæus invidiam suæ gentis declinaret. *Erasm. in ejus vita.*

D. August. cùm gentilium calumnias refutare vellet, qui clades in imperio Romano acceptas novæ Religioni adscribebant, atque eis ostendere, longè plura, atque graviora perpessos Romanos antequam Christus adoraretur; idque historiarum fide, atque testimonio probare oporteret: ad eam rem Pauli Orosii, cui ea notior erat historia, opem requisivit, eamque assecutus largè ipsa usus est. *Fulg. lib. 8. cap. 13. D. August. l. 5. de Civ. Dei, c. 17.* Romanorum exemplo Pios ad probitatem, & sanctimoniam vitæ hortatur inquiens: Utamur etiam in his rebus beneficio Domini Dei nostri: consideremus quanta contempserint, quæ pertulerint, quas cupiditates subegerint pro humana gloria, qui eam tanquam mercedem talium virtutum accipere meruerunt: & valeat nobis etiam hoc ad opprimendam superbiam, ut cùm illa civitas, in qua nobis regnare permissum est, tantùm ab hac distet, quantum distat cœlum à terra, à temporali lætitia vita æterna, ab inanibus laudibus solida gloria, à societate mortalium societas Angelorum, à lumine solis, & lunæ lumen ejus, qui fecit solem, & lunam: nihil sibi magnum fecisse videantur tantæ patriæ cives, si pro illa adipiscenda fecerint boni operis aliquid, B vel mala aliqua sustinuerint: cùm illi pro hac terrena jam adepta tanta fecerint, tanta perpessi sint: præsertim, quia remissio peccatorum, quæ cives ad æternam colligit patriam, habet aliquid, cui per umbram quandam fuit simile asylum illud Romuleum, quò multitudinem, qua illa civitas conderetur, quorumlibet delictorum congregavit impunitas. *Cap. quin etiam, seq.* veluti per inductionem docet, quas illorum virtutes imitari debeamus. Ad extremum subjungit: Per illud imperium tam latum, tamque diuturnum, virorumque tantorum virtutibus præclarum, atque gloriosum, & illorum intentioni merces, quàm quærebant est reddita, & nobis proposita necessariæ commonitionis exempla: ut si virtutes, quarum istæ utcumque sunt similes, quas isti pro civitatis terrenæ gloria tenuerunt, pro Dei gloriosissima civitate non tenuerimus, pudore pungamur: si tenuerimus, superbia non extollamur. Quoniam sicut dicit Apostolus: Indignæ sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Ad humanam verò gloriam, præsentisque temporis satis digna vita existimabitur illorum.

C Stultis, pueris.

☞ *Ex loco Prudentiæ, huc ii, qui Stultorum, vel puerorum consilia accepere.*

Parentibus.

☞ *Vide supra, Parentes filiorum magistri.*

Apud Ægyptios filius nullam aliam artem, quam paternam discit, teste *Herod. l. 6. & Diod. lib. 1. c. 6.* Proinde etiam apud eosdem milites, qui Calasiries, & Hermotybies dicuntur, nulli alteri artificio operam dant, sed artem militarem discit filius à patre.

Agasicles Lacedæmoniorum rex interrogatus: Cur tam avidus discendi, non adjungeret sibi Philophanem sophistam? regia prorsus indole respondit: se eorum discipulum esse malle, quorum esset & filius: nempe qui virtutem ipsis factis præstarent, non eorum qui compositis arte verbis de virtute nu- D garentur. *Plut. in Apoph. Laconicis.*

Cyrus major à Cambyse patre Persarum rege belli, & pacis artibus instructus, exiit in spem tanti regni, quantum est posteà ab eo constitutum. *Xenophon.*

Aristippus, Cyrenaici nepos ex filia Arete, à matre edoctus, μητροδίδακτος dictus fuit. *Laert. l. 2. in Aristippo.*

Dama à Pythagora patre instituta, ad summam pervenit eruditionem.

Arete Cyrenaici Aristippi filia, & discipula, mortuo patre scholam illius rexit, & viva voce auditores magna frequentia docuit. *Laert. l. 2. in Aristippo.*

Scycles filius regis Scytharum Aripithis, cùm à matre Istrina lingua, moribusque Græcis institutus fuisset: posteàquam ad regnum pervenit, Scythicos mores exosus Græcam vivendi consuetudinem sequebatur. Tandem cùm Græca quoque Dionysii festa apud Borysthenitas clam suis celebrasset, à Scythis regno, & vita fuit privatus. *Herod. l. 4.*

Lælia sermo ex eloquentia C. Lælii patris defluxit: Licinianum lepos à patre L. Crasso emanavit. Mutiæ duæ filiæ ab utroque parente eloquentiam didicere. *Quintil. l. 1. c. 1. & Cicero in Bruto.* E

Galenus Medicus, ad annum usque decimumquintum sub Nicone architecto Pergameno patre, grammatica, arithmetica, geometria, & astronomia eruditus est. Ad dialecticam inde contemplationem, ut soli deinceps philosophiæ vacaret, ab illo perductus est. Animi tranquillitatem sibi comparare, gloriam contemnere, unam veritatem suspicere, ob nullam pecuniæ jacturam mœrore affici, quamdiu, quæ reliqua essent, ad curandum corpus sufficerent, à patre edoctus est. Quæ quidem patris præcepta se semper retinuisse, & ob nullam rerum fortunæque vicissitudinem, animo perturbatum fuisse, scribit *Gesnerus in ejus vita.*

Sacerdos Antiochenus à filio suo ad Christianam religionem convertitur. *Vide Tit. Converst.*

Heliogabalus Imp. fuit ab incunabulis in summo enutritus luxu: & tantùm Symiamitæ matri deditus, ut cùm ipsa meretricio more vivens in aula Severi, & Antonini Caracallæ, omnia turpia exerceret, ac sine illius voluntate nihil in Rep. faceret deinceps. *Cusp. A. D.*

Valentinianus III. Imp. mortuo patre Constantino Cæsare à Placida in omni mollitie nutritus, ad incantamenta, & mathematica se convertit, ut matronis potiretur alienis. F *Cusp. A. D.*

Mahometo Saracenorum prophetæ dicunt quidam fuisse patrem dæmonum cultorem, matrem Ismaelitam, Hebraicæ legis non ignaram. Puero dum pater suam, mater alteram legem ingerit, ac inculcat, utroque imbutus cultu, neutrum adultus recepit, sed ut callidus erat, inter Christianæ pietatis viros diutissimè versatus ex duabus legibus unam composuit. *Cusp. A. D.*

Conjux Uratislai XII. Ducis Boemorum Drabonucia, mulier audax, & ad scelus prona, duos pariter filios vito peperit, Venceslaum, & Boleslaum. Priorem Ludmillæ aviæ tradidit educandum, alterum ipsa enutrivit. Alumni nutricum imitati mores, Venceslaus pietatem coluit: Boleslaus idolorum sectatus cultum, fratre intercempto, Regnum arripuit. *Æneas Syl. in hist. Boem.*

Franc. Sforcia, à patre Sforcia Magno tria præcepta accepit, eaque religiosè observavit: Alterius nuptam ne attingeret: Servum domi diu habitum, virumque jam factum, ne verberaret, aut statim à se dimitteret, persoluto illi justo salario: Calcitrone equo nullo uteretur. *Egnatius l. 4. c. 3.* G

Conjugibus.

☞ *Hic Discentis, superiore loco Docentis ratio habita.*

Penda Mercorum rex, Alucheftredæ, filiæ Osuvii Northumbrorum regis, uxoris suæ blanditiis, & soceri armis religionem Christi suscepit. *Polyd. l. 4.*

Haaloni, Magonis Tartarorum regis fratri, qui Persarum Calipham, Babylone excisa, sustulit, nupsit in Perside Docuscanton puella regia stirpe, & ab his oriunda, qui ut Christum nuper natum adorarent, frequenti hominum comitatu in Judæam venere. Conjugis hortatu omnia Mahometi templa Haalon jussit dirui, afflixitque passim ejus delitii cultores. *Sab. l. 6. Enn. 9.*

Muliercules.

☞ *Exempla quædam pete ex Tit. Bonis consiliis qui paruere.*

Hipponax Jambum à Jambe vetula irrisus reperit. *Vide Tit. Poeticæ inventores.* H

Galenus de conceptione fœtus, motuque vulvæ, ut cognosceret, an diversa esset conceptus ratio in brutis, & hominibus, muliercules consulere, illarumque experientia suas rationes stabilire non dubitavit. Testis *idem libro 1. cap. 2. de Semine.*

Ædesius sophista Cappadox, Jamblichi discipulus, professor Pergamenus, nunquam vel deambulando otiosus erat, sed olerum venditricibus obvius, de pretio, de cultu, de proventu olerum interrogabat, ipse, quæ norat, addebat: Idem factitabat apud textorem, fabrum cæterosque mechanicos, ut nihil aliud, voculas saltem, quibus uterentur, addiscere studens. *Eunapius in Prisco.*

*Plebeis. Mechanicis.*

Pictor quidam rogatus, *Vide paulo post Tit. Quomodo edocti, & reprehensione.*

Apelles perfecta opera proponebat in pergula transeunti-bus,

bus, atque post ipsam tabulam latens, vitia, quæ notarentur, A auscultabat, vulgum diligentiorem judicem quàm se præferens. Feruntque à sutore reprehensum, quòd in crepidis una intus pauciores fecisset ansas, eodem postero die superbo emendatione pristinæ admonitionis cavillante circa ejus, indignatum prospexisse denuncianten, ne supra crepidam sutor judicaret: quòd & ipsum in proverbium venit. *Plinius lib. 35. cap. 10.*

ASCLEPIODORUS Alexandrinus philosophus naturæ rerum studio accensus, mechanicis artificibus assidebat, de singulis accuratissimè inquirebat; & cum hac acrosi, quantum poterat, auctorum scripta conferebat. *Suidas* hæc de eo, ut familiari suo.

*Servis, Captivis.*

CYRUS Cræsum regem, quem apud se captivum habebat, pro consultore in rebus gravissimis adhibuit, & filium quoque Cambysem eidem commendavit. *Herod. l. 3.*

*Peregrinis.*

Scribunt Ægyptiorum sacerdotes, in sacris contineri libris, transisse primùm ad Ægyptios Orpheum, Musæum, Melam- B podem, Dedalum, Homerum poetam, & Spartanum Lycurgum. Deinceps Solonem Atheniensem, Thaletem Milesium, Platonem philosophum, ac Samium Pythagoram, Eudoxum quoque mathematicum, ac Democritum Abderitem, & Inopidem Chium. *Diod. lib. 1. c. 9.* quæ singuli horum ab Ægyptiis in sua scripta transtulerint, ostendit. Eudoxum auditorem fuisse Chonupheos autumant Memphitæ, Sonchitis Saitæ Solonem, Oenupheos Heliopolitæ Pythagoram. Hic, ut creditur, apud illos, magna in admiratione fuit, admiratusque illos eorum gryphos, & mysteria est imitatus, scitisque suis ænigmata intexuit. *Plut. de Iside.*

Athenienfis schola peregrinis ferè inclaruit. Si sectam Peripateticam spectes, Aristoteles fuit ex Stagira, ex Ereso Theophrastus, Strato è Lampsaca, Glycon ex Troade, Aristo ex Cea, Critolaus Phaselites. Si Stoicam, Cittiensis Zeno, Cleanthes Lyssius, Chrysippus Solensis, Diogenes Babylonius, Antipater Tarsensis, Atheniensis Archedemus in Parthos migravit Babylone, atque illic successionem Stoicam reliquit. Nempè sectantes ipsi otium, quo frui non admodum domi integrum est iis, qui quantulacunque auctoritate, vel C opibus sunt præditi, peregrinari voluere. Et nunc quoque probatissimus, & optimus quisque peregrè vivit: non quia pulsus fuerit, sed quòd emigrarit: non quòd in exilium sit actus, sed fugiat ultrò molestias, interpellationes, & negotia, quæ patria imponit. *Plut. de Exilio.*

*Hostibus.*

DOMINUS non omnes gentes è terra sancta Israelitis exturbavit, vivente Josue, sed aliquas reliquit, exercendorum, & tentandorum Israelitarum gratia, nimirum quinque Palæstinorum præfecturas, omnesque Chananæos, & Sidonios, & Hevæos Libani montis incolas: à quibus miserè sunt vexati, quandocunque relicto Domino idolis servierunt. *Judic. lib. 3.*

PELOPIDAS liberatus per Epaminondam, grates habere se Alexandro tyranno Pheræorum jactavit. Periculum enim se potissimùm nunc fecisse sui, ac competisse etiam ad lethum, se, nedum ad bellum, obfirmato esse animo. *Plut. in Apoph.*

Asia primùm devicta luxuriam misit in Italiam, suisque illecebris victores Romanos cepit, multoque magis Attali regis hæreditas, tum enim pretiosam supellectilem in actionibus re- D giis emere cuivis Romæ licuit, anno urbis DCIIX. Devicta Achaja priùs ann. DCIIX. signa, & tabulæ pictæ, ne quid deesset ad luxuriam, inventæ sunt. *Plin. lib. 33. cap. 11.* Rectè igitur *Horat. l. 2. Epistolarum.*

*Græcia capta ferum victorem cepit, & artes*
*Intulit agresti Latio.* ——

ROBERTUS III. Scotorum rex, Davidem F. dyscolum Roberto Stuarto fratri suo, quem regni gubernatorem dixerat, tradiderat, ut patrui diligentia, atque fide ad meliorem frugem revocaretur. Robertus nepotem Regni hæredem declaratum fame in carcere necavit, rumore sparso, à ficariis cæsum esse. Rex indignè ferens filii necem, suspicans tamen fratris perfidiam, alterum filium Jacobum, spem Regni, clàm in Angliam ad Henric. IV. regem, licèt hostem, misit. Eum Anglus in liberali custodia penes se habuit, & optimis præceptoribus erudiendum tradidit. Proinde ad tantam probitatem, atque eruditionem pervenit, ut omnibus admirationi foret. Ense dimicare, & hasta ad unguem certare sic callebat, ut athletam diceres. In choreis, saltationibusque agillimus: musica mexa ctè tenebat, omnis generis Grammaticam, orationem, poeticamque ut tum temporis, eximiè noverat. In lingua vernacula tam ornata faciebat carmina, ut poetam natum credidisses. Latinè verò, ut tum mos erat, temporis injuria incondita quidem, attamen gravissimis referta sententiis conficiebat. Physices arcana omnia comperta habebat. Theologiam, ac jus sic, ut nulli cederet. Et omnia octodecim annis, quibus in Anglia captus fuit, unica Henrici regis cura addidicit. *H. Boeth. lib. 16.* E

BRUTIS.

Milvi videntur artem gubernandi Homines docuisse caudæ flexibus, in cœlò monstrante natura, quod opus esset in profundo. *Plin. lib. 10. cap. 19.*

Ab Hippotamo (est illud animal in Nilo) Medici mittere in morbis sanguinem didicerunt. Assidua namque is satietate segnior redditus, exit in litus, recentes harundinum casuras speculatur, atque ubi acutissimum videt stipitem, imprimens corpus, venam in crure vulnerat, eoque profluvio corpus exonerat, plagam limo obducit. Clysteris usum in Ægypto F monstravit Ibis, ciconiæ ferè similis, & ipsa quoque serpentum pernicies. Hæc rostri aduncitate per eam partem se perluit, qua redduntur excrementa.

Medicamenta, quorum usum Animalia monstraverint, *Plin. lib. 8. cap. 26. & 27.* recitat.

Hirundines invenere herbam chelidoniam. Hac enim oculis pullorum in nido restituunt visum, ut quidam volunt, etiam erutis oculis. Hoc tamen Cornelius Celsus lib. 6. naturæ ejus avis, non herbæ assigna. Invenerunt Canes canariam, qua fastidium deducunt, eamque in nostro conspectum mandunt, sed ita ut nunquam intelligatur, quæ sit: etenim depasta cernitur. *Plin. lib. 29. c. 4.* Nota est hæc animalis hujus malignitas in alia herba major. Percussus enim à serpente mederi quadam sibi dicitur, sed illam homine inspectante non decerpit. Simplicius Cervæ monstravere elaphoboscon. Item seseli enixæ à partu. Dictamnum ostendere vulneratæ pastæ, statim decidentibus telis, *Plin. lib. 25. cap. 8.* Id *Cic. in 2. de Nat. deor.* feris capris adscribit. Cervi percussi à phalangio, quod est aranei genus, cancros edendo sibi me- G dentur. *Polyd.*

Thraces quando fluvium conglaciatum transire instituerunt, indicem faciunt firmitatis glacici vulpem. Nam progrediens illa, glaciei aurem sensim admovet. Quæ si percipiat ex strepitu propè undam delabentem, coniiciens non altum esse gelu, sed tenue, & infirmum, subsistit: ac ni prohibeatur, regreditur. Si strepitum non sentiat, transit fidenter. *Plut. de Animalium comparatione.*

BRASIDAS captum in carycis murem morsus ab eo dimisit. Tum ad assistentes ait: Nullum est adeò animal pusillum, quòd si repellere sustineat aggredientes, non valeat esse salvum. *Plut. in apoph.*

AGESILAUS murem conspicatus ex fenestra trahi à puero, qui eum tenebat: ut eluctans manum momordit mus tenentis, profugitque, ostendit id illis, qui præstò erant, aitque: Quando animal minimum ita propulsat injuriam, quid viros facere deceat, perpendite. *Idem.*

DIONYSIUS senior, cùm in tyrannidis exordio à conspirantibus in eum civibus obsideretur: amici consulebant ei, nisi vellet in potestatem eorum redactus necari, ut deponeret H dominatum. At ipse bovem cùm videret, quem cocus mactabat, illicò concidentem: Quid, anne durum sit, inquit, si mortis timore adeò brevis, tantum imperium derelinquamus? *Ibidem.*

Nauplienses olim, cùm abroso palmite vitem multò feraciorem animadvertisent redditam, sarmentorum putationem ab asino commostratam didicere. *Pausan. lib. 2.*

Cervus Clodoveo I. Francorum regi, sacris Christianis initiato, contra Alaricum Gothum pugnare volenti, vadum inundantis fluminis monstravit: quem rex ipse cum toto exercitu secutus, flumine transvecto, Gothum fudit, & infidelem superavit. *Gaguinus.*

ELIEZES Barizæ Janizarorum ducis F. etiamnum tyro, singulari certamine contra Bitezem Pannonium pugnavit, quo tempore Amurates Turcarum rex in campis Castoviis cōtra Joan. Huniadem in acie constiterat. Incolumis uterque ad suos reversus est. Amurate fortitudinem ejus admirante, lepore se magistra usum respondit. Magis adhuc mirante rege: Cùm puer, inquit, in Asia leporem XL. sagittis frustrà peterem, & ii ultimæ



ultimæ stridore territus aufugisset, certò cognovi, fatalem A ejus vitæ terminum nondum adevenisse. Proinde etiam ego Pannonio me hac spe opponere non dubitavi, licèt ætate, & robore superiori. *Chalcocondyl. l. 7.*

## QUOMODO. EDOCTI
### CONTEMPLATIONE.

☞ *Vide locum Contemplationis.*

DANIEL cum tribus sociis sine propheta, sine sacerdote, sine magistro legem Dei observavit sobriè, justè, & piè: vixitque sine labe inter pueros gentiles. *Dan. 4.*

HERACLITUS Ephesius cùm esset juvenis, nihil se dicebat scire: vir factus, nihil se ignorare profitebatur. Et ille idem tamen neminem audivit, sed ex semetipso omnia jugi contemplatione didicit. *Laert.*

### AUDITIONE.

Legati Atheniensium Romam adventarant. Carneades Academicus, & Diogenes Stoicus philosophus, petitum, ut judicio sublevaretur populus Atheniensis, cui indicta causa con- B demnato postulantibus Oropiis, & Sicyoniis judicibus, lis æstimata quingentis talentis fuerat. Hos illicò studiosissimi quique Adolescentes adibant, frequentesq; audiebant, & celebrabant. Carneadis lepos præcipuè, cujus magna vis, & ea vi non inferius erat nomen, cùm insignes, & benignos auditores nactus esset, instar venti urbem sonitu complevit: vulgatumque fuit, virum Græcum ad miraculum usque eximium, omnia delinientem, & allicientem, mirum infudisse juventuti ardorem, per quem reliquarum voluptatum, & oblectamentorum obliti, quasi fanatici raperentur ad philosophiam. Cùm ea res cæteris placeret Romanis, atque adolescentiam libenter viderent literis Græcis imbui, & excellentibus viris uti: M. Cato jam senex unus improbavit: veritus, ne juventus eò converteret studium, atque eloquentiæ gloriam rebus gerendis, & disciplinæ militari anteferret. *Plut. in Catone.*

SERVULUS medicus, & æger, & litterarum ignarus, ecclesiastica opuscula ex eleemosynis compararat: aliis quidem legenda quoties lectorem nactus fuisset, sibi vero auscultanda, atq; ediscenda. Audiendi assiduitas reddidit eruditum, ita ut aliis memoriter prædicaret, quæ ipse legere nesciebat. *Marul. l. 2. c. 5.*

### CONVERSATIONE.

C ☞ *Vide Titul. Peregrinationem.*

Devicto Agide cùm postularet obsides Antipater pueros quinquaginta, respondit Eteocles Ephorus, non daturos pueros, ne minus instructi patria disciplina incompositi evaderent: neque enim cives essent. Senes, vel mulieres, si placeret ei, bis totidem daturos. Denuntiante illo ultima, ni accepisset: responsum publicè reddiderunt: Si morte impares graviora æquiore animo moriemur. *Plut. in apoph.*

*Athen. l. 12.* narrat, Alcibiadem, postquam à tutoribus accepisset suas facultates, Abydum Hellesponti navigasse, atque illuc luxu, deliciisque fuisse corruptum. *Eras. in Adag.*

### CONSILIO.

☞ *Vide Tit. Bonis consiliis parere.*

### EXEMPLO.

☞ *Vide supra, Magistri aliorum exemplo.*

D CLAUDIANUS poeta Ruffini improbitate adductus, Deos humana non curare sibi persuaserat. Mox ejusdem gravi supplicio commonitus, contrarium credere cœpit;

*Nam cùm res hominum tanta caligine volvi*
*Adspicerem, lætosque diù florere nocentes,*
*Vexarique pios: rursus labefacta cadebat*
*Religio, causæque viam non sponte sequebar*
*Alterius, vacuo, quæ semina currere motu*
*Affirmat, magnumque novas per inane figuras*
*Fortuna non arte, regit, quæ Numina sensu*
*Ambiguo, vel nulla putat, vel nescia nostri.*
*Abstulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum,*
*Absolvitque deos, jam non ad culmina rerum*
*Injustos crevisse queror: tolluntur in altum,*
*Ut lapsu graviore ruant.*

### REPREHENSIONE, APPROBATIONE.

PHILIPPUS Macedo, cùm paupercula anus postularet, ut ipse de causa sua cognosceret, eumque identidem interpellaret, negavit vacare sibi. Ibi vociferans anus: Ergo noli, inquit, regem agere. Quò ille dicto defixus, non istam modò, verùm E etiam alios confestim diligenter audivit. *Plut. in Apoph.*

Pictor quidam interrogatus, quem habuisset artis magistrum, digito ostendit populum, sentiens se ad multitudinis judicium pingere: & observantem, quod quisque probaret, aut improbaret, artem fuisse consequutum. Idem ab Apelle factitatum legimus; qui post tabulam latitans, subauscultabat spectatorum censuras: *teste Plin. l. 35. c. 10. Eras. l. 18. Apoph.*

SERVIUS SULPITIUS cum in causis orandis primùm locum post M. Tullium obtineret, ad consulendum Q. Mutium de re amici sui pervenit, cùmque eum de jure respondentem parum intellexisset, iterùm Quintum interrogavit, & is uti priùs respondit: Cùm ne sic quidem perciperet: Turpe verò patricio, nobili causas oranti, Mutius esse dixit, jus, in quo versaretur, ignorare. Ea veluti contumelia Servius accensus, operam dedit juri civili, & in ea tantus evasit, ut libros propè centum, & octoginta reliquerit. *Digestor. l. 1. de Orig. jur. ex Pōponii enchiridio.*

### IRRISIONE.

DEMOSTHENES nisi ab insano populo risu exceptus, & ob ineptam pronuntiationem explosus fuisset, nunquam ad eloquentiæ principatum pervenisset. *Vide Tit. Actio rhetorica elegans.* F

SUENO ob Mulum irrisus literis dat operam. *Vide Tit. Linguarum imperiti.*

VICELINUS Mindensis patria, obscuris natus parentibus, cum liberalitate Conradi comitis ab Everstein sustentaretur, è ludo veniens, à sacerdote ejus fortunæ æmulo interrogatur, Quem auctorem in schola audiret? Respondit ille: Statii Achilleida, Tum sacerdos de argumento operis quæsivit. Obmutuit Vicelinus, & ægrè ferens se irrideri à sacerdote, tanto studio literis dedit operam Padebornæ, deinde etiam Lutetiæ, ut inter doctiss. suo sæculo fuerit habitus, & tandem Aldenburgensis episcopus factus, Holsatos ad fidem Christi convertere- rit, circà annum M. CXXXIV. *Helmoldus.*

### POENITENTIA ALIORUM.

RICARDUS Anglorum rex, pietate Austriæ ducis ad pœnitentiam convertitur. *Vide Tit. Æmuli ob titulos imperii primatus.*

### MORBIS. MORBO DOCTIORES REDDITI. G

Theagis, Hieronis, Ptolemæi Philadelphi, Democratis, Itami, Stratonis, exempla *pete ex Tit. Exercitationis studio morbos contemnere.* illic Exercitii, hic ratio habetur Institutionis.

Orandum esse pro infirmo, Dominus docuit, suspiciens in cælum, cùm surdum, ac mutum hominem curare vellet. Nec solùm suspexit, sed etiam ingemuit, ut precatuti mentem simul cum oculis ad Deum dirigere discant. Paralytico priùsquam sanitatem concederet, peccata dimisit, ut quia propter peccata in morbum inciderat, submota causa cessaret effectus. Ex quo sanè datur intelligi, ægritudinem quandoque delicti pœnam esse. Quod si per pœnitentiam, & confessionem deletum fuerit, reliquum est, ut æger convalescat. *Marul. l. 5. c. 4.*

B. PETRUS APOSTOLUS Tito discipulo interroganti, Cur Petronillam filiam suam diutiùs ægrotare pateretur, cum aliis malè affectis repentè sanitatem induceret? ita illi expedire respondit. Ac ne dissimulare impossibilitatem videretur, jussit eam surgere, & ipsis discumbentibus ministrare, exurrexit sana: & ut perfuncta est officio, rursum patris jussu ad lectulum pariter, ac morbum rediit. Ægrotando igitur didicit virginitatis H amare puritatem, ita ut posteà sanata, mori præoptaret, quàm Flacco prætori nubere. *Idem.*

SERGIUS Senogalliæ princeps, elephantico morbo divinitus liberatus, omnia, quæ habuit, partim ecclesiæ, partim pauperibus erogavit, & relictis omnibus, soli Deo humilis, & egenus toto animi affectu servire cœpit. Compulerat enim sua ipsum infirmitas humani generis conditionem altius considerare, & deprehendit, nihil prodesse homini terrenum dominatum, atque illum ubi convaluit, dereliquit, cœlestia tantùm quærens, & æterna. Non abs re igitur in Ecclesiastico scriptum est, Infirmitas gravis sobriam facit animam. *Marul. l. 5. c. 4.*

DUNSTANUS ante morbum ab Elphego Ventano Episcopo, necessario suo, nullis hortatibus, ut monachum profiteretur, compelli poterat. At febre correptus, mox ut convaluit, ultrò ad monasterium properavit, & religioni se addixit: multaque vitæ sanctitudine pollere cœpit, brevi presbyter: atque ad Cantuariensem ecclesiam regendam accitus, pontificia quoque

que dignitate affulsit, multis denique miraculorum signis no-
A bilitatus fuit. *Idem.*

S. Francicus Minorum pater non antè cœpit esse perfectus, quàm gravissimam corporis valetudinem incurrisset. Vigesimo ætatis suæ anno infirmatus, didicit terrena contemnere, quæ sanus dilexerat. Æger soli Deo serviendum esse intellexit, qui antehac sanus avaritiæ servierat, dum negotiationibus operam dat. *Ibidem.*

Antigonus rex Macedonum, à gravi morbo posteàquam convaluerat: Nihilo pejus est, inquit: similem hic morbus submonuit nos, ne animo efferamur, cùm simus mortales. Quis docuerat Ethnicum regem, philosophiam Christiano dignam animo? *Plut. in Apoph. Regum.*

Amore.

*Bion in Bucolicis* fui Pastoris persona Amorem carminum suorum præceptorem facit apud Stobæum *sermone 61.*

Ταὶ μοῖσαι τὸν ἐρώντατον ἄγριον ἐ φοβίσαις,
ἐκ δυμῷ φιλόντι κ᾽ ἐκ ποδὸς αὐτῷ ἕποντα.
κ᾽ ὦ μὲν ἀρα λύκα τις ἔχων ἀνίρατον ἀπηδᾶ,
τᾶνον ὑ σκυφάζοντι, κ᾽ οὐκ ἐθέλοντι διδάσκει.
ὦ δ᾽ νόφ τῷ ἐρωτι δονᾶμενος ἀδὺ μελίσδη,
B ἐς πόνος μαλκὰ πᾶσαι ὑπεγόμενα προρίοντι,
μάρτυς ἐγὼν, ὁ τᾶμιδος ὁ δ᾽ ἔπλετο πᾶσιν ἀληθής.
ὦ μὲν γὰρ βροτὸν ἄλλον, ἢ ἄδαμαντον τινα μίκαν,
καμεῖδάνει μὲν γλῶσσα κ᾽ ὠς πάρος οὐκ ἔτ᾽ ἀείδα,
ὦ δ᾽ αὖτ᾽ ἐς τὸν ἐρωτα κ᾽ ἐς λυκίδαν τὶ μελίσδω,
κ᾽ πόκα μοιχαίρισα δια τόμματος μὴ ὁδέ.

Musæ amorem non metunt crudelem: quin amant ex animo, & vestigia sequuntur ejus. Quòd si quis ingenio præditus inamabili eas comitetur, illum refugiunt, & docere nolunt. At si amore captum gerens animum suaviter cecinerit, ad ipsum simul omnes festinæ confluunt. Quòd autem hic sermo planè verus sit, ego testis sum. Nam si hominum quempiam, aut immortalium carmine celebro, cessat mea lingua, nec ut ante solebat, canit. At cùm in amorem, vel in Lycidam aliquid modulor, tunc mihi lætum ore carmen profluit.

Paupertate.

☞ *Consule Tit. Exercitationis studio Paupertatem floccipendere, quatenus paupertatis stimulo ad virtutem addiscendam aguntur.*

Horatius *l.2. Epistolarum* Athenis literis operam dabat. Civili bello exorto, Bruti, & Cassii partes secutus, Philippi-
C co prælio, in quo Augustus victor fuit, interfuit. Hinc paupertate coactus, ad scribendum se contulit. Inquit enim:

*Unde simul primus primùm me dimisere Philippi*
*Decisis humilem pennis, inopemque paterni*
*Et laris, & fundi, paupertas impulit audax,*
*Ut versus facerem.* ——

Carceribus, Exilio Edocti.

Moyses Ægyptium, qui percusserat Israelitam, occidit, & in arena sepelivit. Viderat hoc alius Israelita, & à Moyse reprehensus ob injuriam, quam gentili suo faciebat: Quis te judicem nobis dedit, exclamavit? an & me sicuti Ægyptium occidere paras? Hæc exprobratio ne in homicidii indicium exiret, metuit Moyses, ex Ægypto profugit, & in desertum veniens, occasionem habuit de Deo altiùs cogitandi, ita ut tandem divino sit dignus habitus alloquio. *Vide l. Genes.*

Jacobus I. Scotiæ rex, decem annis apud Anglos captivus, bonos mores, & justitiam didicit: & libertati restitutus, Scotos suos ad humaniorem vitam traduxit. *Polyd. l.5.*

D Franciscus Spinola Genuensium classi præfectus, captus à Venetis ad Rapalitanum sinum, patriciorum conversatione eos libertatis spiritus hausit, ut in patriam reversus, nil prius habuerit, quàm civium suorum animos, propositis veræ libertatis commodis, ad defectionem à Philippo Vicecomite Mediolanensium principe, cui parebant, impellere. *Sabel. l.2. Dec.3.*

QUANDO.

Qui Didicere Cito.

☞ *Huc Sub δ᾽ακροιqouque pertinent. Superiùs ratio habebatur Efficientis, hîc Temporis.*

Sero.

☞ *Huc etiam senes, qui didicere. Illic persona Discentis, hic Disciplinæ tempus considerabatur.*

Servius Sulpitius à Q. Mutio ob juris civilis inscitiam reprehensus, ita operam huic studio dedit, & in eo tantus evasit, ut libros prope centum, & octoginta reliquerit. *Digeliorum l.1. de Orig. juris, ex Pomponii enchiridio.*

Superianus sophista, Isaurus, Lacharis discipulus, & successor in schola Atheniensi, serò quidem ille ad discendum ac-
E cessit, & ingenio tardiore fuit: adeò verò laboriosus, & diligens, ut cum annos amplùs triginta natus Oratorum libros legere cœpisset, à seipso illa per vim exigeret, nec objurgationibus, nec flagris parcens, quæ à pueris pædagogi exigunt. Ipse à se flagris cæsus sæpè in balneis videbatur. *Suidas.*

Plutarchus de seipso sic scribit *in Demosthene*: Nos qui exiguum colimus oppidum, & ne minus reddatur, ferè ibi commotamur (quia cùm Romæ ageremus, & in Italia, propter negotia publica, & eos, qui ad nos Philosophiæ causa ventitabant, non vacabat in lingua Romana studium ponere) serò tandem, & ætate provectiore Latinas attigimus litteras. Usuvenit autem nobis res quidem mira, sed vera tamen: ut non tam ex verbis res cognosceremus, & perciperemus, quàm notitiam utcùmque assecuti rerum, harum subsidio, ut assequeremur etiam verba.

Posthumus Romanus, Capuanus, Græcis litteris post trigesimum ætatis annum est eruditus, cùm initio aurifaber fuisset. Semel autem isto doctrinæ amore commotus, Athenas abiit, ibique Græcorum disciplinas addidicit, & præclara eruditione ornatus consenuit. Jure itaque & hic Heracliti F illud de sese dicere potuit. ἐμαυτὸν ἐδιζησάμην. Me ipse quæsivi. *Suid.*

Carolus Magnus tabulas, & codicillos in lecto sub cervicalibus reponere solebat, ut cùm vacuum tempus esset, manum effigiandis literis consuefaceret. Sed parum successit labor serò inchoatus. *Crant. l.2. Saxoniæ, c.8.*

Otho I. Imp. post obitum uxoris Edithæ, paucis mensibus bonam partem Latinæ linguæ, artium liberalium, & sacrarum literarum assecutus est, sic ut eruditione non æquarit solùm, verùm etiam superarit, qui tum erant principes, & vulgus Episcoporum. *Enric. Schmedenstandius in Orat. de Othone.*

Alurdus Anglorum rex, jam viginti annos natus operam literis dedit, atque ita doctus evasit brevi, ut D. Gregorii dialogos, opus Boetii de consolatione philosophiæ, & psalmos David ex Latino in patrium sermonem verterit, quò à cunctis facilè intelligerentur. *Polyd. l.5.*

Accursius Florentinus, qui primus in universas leges Glossas conscripsit, anno 37. demùm ætatis Juris studium aggressus fuit.

Laurentius Medices publicis, domesticisque rebus feli-
G ci industria, ac optima ratione constitutis, ad otium philosophiæ, optimarumque literarum confugit, & cum eruditissimis viris, quos Florentino gymnasio præfecerat, modò in urbe, modò in Caregia villa, & in Cajano procul à civilibus negotiis exercebatur: adeòque his studiis flagranti cura incumbere erat solitus, ut modò seipsum veluti inertem, modò iniquam temporum conditionem incusaret, quòd tam serò ad philosophandum accessisset. *Jovius Leonis X. vita.*

Paulus II. Pp. Lugenii pontificis ex sorore nepos, adolescens peregrè profecturus mercaturæ causa (quæ apud Venetos in precio est) cùm jam scrinium, & arma in triremes detulisset, Gabrielem Condelmerium avunculum suum (qui Eugenii IV. nomen accepit) audiens pontificem creatum esse, substitit, ac literis, licèt jam adultus, operam dedit, nec tamen ob ætatem admodùm profecit. Pontifex factus præceptores omnes dignitate, & facultatibus honestiores reddidit, ostendens per eos non stetisse; quominus doctior evaderet. *Platina.*

Huldricus Zasius inter Germaniæ Jureconsultos summi nominis, cùm scribæ primarii munere apud Friburgenses fungeretur, vigesimoquinto demùm ætatis anno legibus operam dare cœpit. *Joan. Pichardus in ejus vita.*

Hadrianus VI. Pontifex, Trajecti in Belgio natus, rerum Italicarum penitus ignarus, & tum primùm urbium suarum, & provinciarum, regulorumque nomina perdiscens, in omnibus consiliis vehementissimè conturbabatur: adeò ut cùi his curarum fluctibus jactaretur, aliquando diceret, sibi fuisse jucundius Lovanii gymnasium cum studiorum laude moderari, quàm Romæ pontificia in sede Christianorum Rempublicam administrare: quando, inquit, in eam affectam omnibus malis, & recisis nervis magnopere debilitatam, miser inciderim. *Jovius in Hadriano VI.*

QUO STUDIO, QUA DILIGENTIA DIDICERINT.

Cassandra, sive Alexandria, Priami, & Hecubæ filia, cùm vaticinandi artem simul cum fratre Heleno ab Apolline, vel Apollinis quodam sacerdote disceret, ille Cassandræ amor re inter



re inter duodecim captus, si cum ipso rem habere vellet, pe-
A ritissimam artis se illam redditurum promisit. Cassandra annuit se illius libidini satisfacturam, cùm primùm artem probè percepisset: post autem voti compos facta sacerdoti, quod pollicita fuerat, constanter abnegavit. Tum ille de fraude sibi facta dolens, cùm aliud non posset, hoc saltem apud regem Priamum, & cæteros Trojanos effecit, ut Cassandræ oraculis nemo fidem adhiberet, sed eam pro insana, atque delira omnes haberent. Rectè igitur. *Virgilius.*

—— *Dei jussu non unquam credita Teucris.*

Hinc porrò factum est, ut eam parentes exosi, quòd infausta semper, & adversa prædiceret omnia, in turrim lapideam concluserint, in qua perpetuò degeret, ac secum variis de rebus vaticinaretur. De ejus vaticiniis Licophron poema obscurissimum scripsit, quod Alexandram appellavit. *Gul. Canterus in Comment. Lycophronis.*

Cyrus equitandi, & jaculandi artem inter Medorum pueros discens, non ea ad certamina, in quibus cæteris se superiorem esse notat, sed in quibus certò sciret se inferiorem discessurum, æquales provocabat. Quod si victus esset, ipse de se plurimùm ridebat: illud interim sedulò curans, qua ra-
B tione idem rectiùs præstaret. *Xenophon. l.1. Pædiæ.*

Græcos discendi studio non piguit exilia vertiùs, quàm peregrinationes, ut inquit, Plinius, ad Ægyptios, ad Chaldæos, ad Indorum Brachmanas eruditionis causa suscipere: ut ea, quæ peregrè à Barbaris didicissent, domi pro suis venditarent. *Lucretius* certè l.1. studium illorum, & Epicuri in primis, extollit.

Solon Atheniensis, *quære inter Apophteg.*

Socrates, semper aliquid discere, quod ignoraret, voluit. *Apud Platonem in Hippa minore.* inquit; Mirificum hoc habeo bonum, quod me servat, quoniam sine rubore verecundiæ ad discendum me præparo. Rogo autem, & sciscitor, gratiamque ingentem habeo respondenti. Nec ulli unquam ingratus extiti, neque apud auditores unquam vindicavi mihi aliorum inventa: sed docentem laudibus semper extollo, illique, quæ sua sunt, tribuo.

Antisthenes cùm disputantem Socratem audiisset, ipsius disciplinæ amore captus, ad discipulos, quos ipse habebat, conversus ut alium præceptorem quærerent, monuit, sibi enim se præceptorem invenisse, ajebat. Hoc dicto, fortunisque omnibus relictis, uno tantùm pallio tectus. Socratem se-
C cutus est, opibus liber, atque humanis curis, quæ eum à studiis avertere possent. Et quidem in Piræo habitans, quotidiè quadraginta emensis stadiis Socratem accessit Athenis. *Laert. lib.5.*

Cleanthes, & Xenocrates cùm tardiores essent condiscipulis suis, non destiterunt discere, neque obtorpuere: sed occupaverunt semetipsi irridere, vasibus comparantes se restricti oris, tabulisque æreis, quasi ægrè disciplinas caperent, fideliter tamen, & firmiter servarent. *Plut. in Aud.*

Polemonem Atheniensem philosophum tanto studio Discipuli audiebant, ut cùm in horto philosopharetur, discipuli parvis tuguriolis constructis propè scholam habitarent. *Laert. l.1.*

Eudoxus si soli astans formam illius sideris percipere, magnitudinemque ejus, & speciem posset, optavit sicut Phaeton conflagrare. *Plut.* contra Epicuri sententiam.

Epaminondas præceptorem suum Lysium Tarentinum Pythagoreum, tristem licèt, & severum senem, omnibus æqualibus suis familiaritate ante posuit: neque prius enim à se dimisit, quàm doctrinis, tanto antecessit condiscipulos, ut
D facilè intelligi posset, pari modo superaturum omnes in cæteris artibus. *Probus in Epaminonda. Pausanias in Bœoticis, Lysim* appellat.

L. Paulus Æmilius augur creatus, ita veteribus institutis fuit intentus, & perdidicit majorum religionem, ut quod sacerdotum honor esse aliquis videbatur, & peti nominis tantùm causa, unam ostenderet id esse ex summis artibus: suffragareturque philosophis, qui religionem definierunt colendi Dei scientiam esse. Omnia enim peritè faciebat, & sedulò: ac cùm in hoc esset, feriabatur ab aliis: neque prætermittebat, vel novabat quicquam, verùm cum collegis semper disceptabat de minutis quoque: docebatque eos, ut facilem deum, & conniventem dilectis existimes, at esse reipub. hanc condonationem, & veniam gravem, nemo enim magno scelere ab initio rempubl. turbat statim: sed majorum curam conculcant, qui soluti sunt in parvis. *Plut. in Æmil.*

Cn. Pompejus cum M. Crasso consul designatus, quoniam per militiæ tempora politicarum rerum expers fuere, M. Varronem amicum suum rogavit, uti commentarium faceret; ex
E quo disceret, quid facere, dicereque deberet, cùm senatum consuleret. Eum commentarium Varro ἐπαγγελτικὸν vocavit. *Gellius l.14. c.7.*

Cato minor ex Asiatiaca peregrinatrione reversus, cùm petere quæsturam legitimè posset, non ante accessit ad petendum, quàm leges perlegisset quæstorias, singulaque ex peritis investigasset, & summatim vim esset complexus muneris illius. *Plut. in ejus vita.*

Agapius Atheniensis philosophus, post Procli obitum, sub Marino, in admiratione fuit, ob discendi cupiditatem, cùm subinde quæstiones proponeret, explicatu difficiles. *Suidas.*

Juliani Jureconsl. clarissimi nota est vox: κἠ ἕτερον πόδα ἐν σορῷ ἔχων, μαθὼν ἐπιθυμῶ. Quamvis alterum pedem in sepulcro habeam, discendi tamen percupidus sum.

Cosroes Persarum rex, licèt barbarus, studio tamen, & assiduo labore eo pervenit, ut philosophiam, disciplinasque omnes Græcorum assecutus, & par summis Philosophis habitus sit. *Agathias.*

D. Hieronymus ex longo morbo convalescens, tanta aviditate studia omissa repetivit, ut quod exercitationi linguæ F profuit, nocuerit corporis valetudini. Testis *ipsemet in epistola ad Evagrium.*

Didymus Alexandrinus cùm Grammaticum puer disceret, & ex ophthalmia oculos amisisset: dicendi studio oculorum cladem superavit. Literarum characteres, & effigies tabulis insculptas, post crebram repetitionem, digitis immissis, observavit, & posteà doctissimus evasit. *Socr. l.4. c.25.*

Joannes Picus Concordiæ, & Mirandulæ comes, omnibus bonis externis, quæ animum à labore ad libidinem traducere possunt, affluens, jam inde à prima puertia incredibili literarum studio flagravit. Itaque ad tantam pervenit eruditionem juvenis adhuc, ut Naturæ miraculum meritò appellari potuerit. Voluit nimirum Deus opt. max. in hoc viro ostendere, non tam ingenium (ut plurimi opinantur) quàm discendi studium, & ardorem, nostræ ætatis hominibus deesse. *Fulgosus l.8. cap.7.*

Hadrianus VI. Pont. puer adhuc, ob rem angustam domi Lovanium missus, in Fortiorum collegium, ut Gratuitò aleretur, receptus est. Nulla ferè eum unquam à scholis juvenilis voluptas evocabat: & cùm esset supra disciplinæ duritiem, vini, cibique parcissimus, etiam cæteros æquales suos G perenni continentia, & lenitate animi superabat, tanta discendi felicitate, ut quæ aliis essent obscura, vel nimia commentantium subtilitate abstrusiora, ea jucunde rimanti, apprehendentique longè facillima viderentur. *Paulus Jovius in ejus vita.*

Christophorus Longolius Belga Jureconsl. in centumviralecollegium Parisiensis curiæ cooptatus humaniora studia non neglexit, sed C. Plinii lectioni totum se dicavit. Et ne quid in eo intelligendo sibi deesset, Græcæ linguæ operam dedit: Medicos omnes, rei herbariæ, rusticæque scriptores, historicos Rom. orbem denique encyclopædiæ evolvit. Umbratili huic cognitioni experientiam jungere volens, stirpium, & piscium historiæ causa in provinciam Narbonensem profectus est: & geographiæ occulta fide hauriendæ desiderio, adolescens Hispaniam totam, adulta jam ætate Britanniam, Germaniam, Italiam emensus est, statueratque in orientem proficisci, nisi Turcarum arma eum retinuissent. Ad Sedunos eodem consilio tendens, quòd sub illud tempus à Gallis ad Mediolanum magna essent clade affecti Helvetii tanquam explorator captus, comitum altero cæso, altero per Rhodanum H notando elapso, duro carceri mancipatus, Sedunensis Cardinalis opera liberatus, & à vulnere gravissimo curatus, viaticoque liberalissimè instructus, regionem totam lustravit, & tabellis descriptam secum domum reportavit. Sæpè prædicabat, se quicquid rerum naturæ cognitione profecisset, id C. Plinii lectioni acceptum referre, qui omnibus illi occasionem plura quærendi, & investigandi semper dedisset. Hos ipsos tamen tam præclaros conatus, Ciceronianæ imitationis fascino, P. Bembi Cardinalis suasu, deceptus, abjecit, & dum inanis eloquentiæ nomen affectat, ejusque causa Rom. civitate donatur, rerum pulcherrima cognitione neglecta, in ipso ætatis flore Patavii occubuit. *Auctor vita.*

Quo-